MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80084-17

AUTHOR:

WERNER, RUDOLPHUS

TITLE:

DE L. ANNAEI SENECAE...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1888

Master Negative #

91-80084-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books       FUL/BIB   NYCG91-B45282          Acquisitions     NYCG-PT
Record 1 of 0 - Record added today
+
  ID:NYCG91-B45282    RTYP:a    ST:p    FRN:     MS:       EL:        AD:04-29-91
  CC:9668  BLT:am      DCF:?    CSC:?   MOD:     SNR:      ATC:       UD:04-29-91
  CP:nyu     L:lat     INT:?    GPC:?   BIO:?    FIC:?     CON:???
  PC:r      PD:1991/1888        REP:?   CPI:?    FSI:?     ILC:????  MEI:?   II:?
  MMD:      OR:    POL:     DM:     RR:          COL:      EML:      GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 10   Werner, Rudolphus.
  245 10   De L. Annaei Senecae Hercule troadibus phoenissis quaestiones‡h[microf
     orm].
  260 0    Lipsiae,‡btypis Frankensteini & Wagneri,‡c1888.
  300      54 p.
  LDG      ORIG
  QD       04-29-91
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm   REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 7-1-92   INITIALS M.G.Y.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

L. ANNAEI SENECAE HERCVLE TROADIBVS PHOENISSIS QVAESTIONES

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

RVDOLPHVS WERNER

HAMBVRGENSIS

LIPSIAE

TYPIS FRANKENSTEINI & WAGNERI

MDCCCLXXXVIII

DE

L. ANNAEI SENECAE HERCVLE TROADIBVS PHOENISSIS QVAESTIONES

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

RVDOLPHVS WERNER

HAMBVRGENSIS

LIPSIAE

TYPIS FRANKENSTEINI & WAGNERI

MDCCCLXXXVIII

PATRIS PIIS MANIBVS

SACRVM

I.

De Hercule Annaeana.

Senecae in componenda Hercule Euripidis tragoediam ante oculos fuisse, quod pridem viri docti opinabantur, Leo ed. Senec. trag. I p. 160 ante hos novem annos evicit locorum ex utriusque poetae tragoedia sumptorum comparatione. Sed, quoniam attigit magis materiam quam exhausit, de integro nunc quae utrique poetae communia quaeque non communia sint investigare constituimus. Ea autem ratione visum est propositum nostrum pertractare, ut primum disseramus de mytho, dein transeamus ad fabulae compositionem, postremum quae inter singulos utriusque poematis locos intercedat necessitudo quaeramus.

Primum igitur de mytho quid statuamus videndum est. Apud auctores, quotquot Euripidis aetate superiores relicti nobis sunt, haec est fabulae forma. Hercules, postquam ab irata Junone furiosus factus uxorem liberosque enecavit, Delphos se contulit, ut ex Pythia sciscitaretur, quemadmodum nefastum facinus lueret. Sacerdos ei imperat, ut Eurystheum adiret eiusque iussa perficeret. Ab hac fabulae memoria primus, ut videtur, Euripides discessit.[1] Nam in tragoedia eius Hercules laboribus perfunctus demum omnibus caedem luctuosam illam perpetrat. Atque in hac quidem re Euripidem Seneca secutus est, discrepant vero in causis proferendis, cur tum demum Juno insaniam Herculi iniecerit. Nam apud graecum poetam propter fatum non licuit deae ante id tempus, quae contra Alciden moliebatur perficere,[2] Seneca vero insaniam illam

[1]) Cf. Zastra, quaestiones de Euripidis Hercule furente. p. 9, not. 17. Ersch et Gruber. Encyclop. v. Heracles not. 63.

[2]) Eur. Herc. v. 827 sqq. Nauck.

cumulum esse voluit malorum, quibus Juno ab ipsis natalibus Herculem usque insectabatur. Quae antea in eum tentaverat inrita fuere, tandem aliquando intellexisse sibi visa est, qua via queat sola virum inimicissimum devincere:

(Senec. Herc. v. 84): 'quaeris Alcidae parem? Nemo est nisi ipse, bella iam secum gerat.'

Hanc sententiam Senecae propriam, non aliunde haustam esse cum ex colore, qui rhetoris aperte prodit ingenium, tum inde patet, quod eodem acumine poeta usus est Thyest. v. 257. Placet autem profecto inventum illud, quo nimirum Junonis in Herculem odium multo clarius depingitur et augetur, ni fallor, gravitas tragoediae.

Alter locus est de compositione utriusque fabulae. Ab Euripide duo diversa argumenta deinceps tractata esse, ut non sine iure de duabus fabulis possit aliquis loqui, praeter Leonem et Zastram[1]) omnes fere viri docti persuasum habent. Leo l. l. p. 160 ingenii Euripidei admiratione eo processit, ut egregia adeo arte ex duplici argumento poetam unum effecisse iactaret. Nam probare et iustis rationibus stabilire opinionem suam plane supersedit. Quod ne mihi quoque iure crimini detur, compositionis graecae fabulae liceat imaginem delineare.

Prologos v. 1—106 continet eam prioris argumenti partem[2]), quae technicis nostris nuncupatur expositio. Sequitur parodos chori lamentantis de adfinium Herculis miseriis v. 107—137.

1 Episodium v. 138—347. Crescunt Amphitruonis et Megarae calamitates ita, ut iam omni salutis spe abiecta arae refugium deserant et in aedes sese conferant Herculis liberos ad mortem obeundam ornaturi.

1 Stasimum v. 348—450.

2 Episodium constat duabus scaenis. Prior versatur in ipso prioris fabulae culmine. Etenim iam in eo est, ut Amphitruo Megara liberi de vita decedant. Sequitur protinus in altera scaena metabasis quae vocatur: adventus Herculis, quo miseri a miseriis liberantur.

[1]) Quaestiones de Hercule furente.

[2]) Falsum est quod Ricardus Arnoldt, die chorische Technik des Euripides p. 13 scripsit: 'Prologos in 2 Auftritten. 1. — v. 59 Amphitryo. 2. — v. 106. Amphitryo Megara.' Nam Megara quoque ab initio in scaena adest. cf. v. 44. sqq.

2 Stasimum v. 637—700.

3 Episodium complectitur eam fabulae partem,[1]) quam Gustavus Freytag in libro cui inscripsit 'Die Technik des Dramas' p. 116 nuncupavit 'das Moment der letzten Spannung' et ipsam catastropham. Adhortatur enim Lycum Amphitruo, ne in crudeli consilio maneat neve se et Megaram et liberos neci tradat. Iste vero precibus Amphitruonis spretis in aedes inrumpit ibique ab Hercule ipse iugulatur. Hic est prioris fabulae exitus. Nam nil praeterea expectamus, quoniam quae in prologo incohata sunt omnia iam ad finem videmus perducta esse: Hercules nimirum in tempore reversus domum suam a tyranno liberavit. Quid enim? Num recte Zastra l. l. p. 10 contendit 'si fabula v. 814 conclusa esset, certo unus quisque aliquid desideraret, esset enim nobis persuasum, Iunonis iram prolatam tantum, non sublatam fore, neque illam prius quieturam quam maxima in Herculem cumulasset mala'? Minime, ut mihi videtur. Nempe Juno in priore fabulae parte vix commemoratur.

Sequitur 3 stasimum, cuius extremis versibus priori argumento alterum adnectitur. Incipit autem novum argumentum a versu 822, quod exodi initium esse contendit Arnoldt „die chorische Technik des Euripides“ p. 14.[2]) Sed haec exodus plane nova est tragoedia, cuius structuram hanc esse cognovi:

Prologus[3]) v. 822—874. Iridis et Lyssae sermonibus, quae ad percipiendas alterius tragoediae res necessaria sunt, spectatoribus proponuntur. Comperimus igitur Herculi mox Junonis iussu furorem iniectum iri. Chorus lamentatur, cum interea ex regia flebiles audiuntur Amphitruonis voces spectantis atrocem liberorum ab ipso patre patratam caedem. Tum procedit nuntius, qui totum cladis ordinem enarrat. Haec autem

[1]) Cf. excursum I.

[2]) Cf. excursum II.

[3]) His versibus alterum contineri prologum ante me vidit Ferd. Commer. de prologorum Euripideorum causa ac ratione. Bonnae 1864. p. 11.

scaena summa iniuria pro catastropha solet haberi. Versamur immo in initio adhuc huius fabulae. Hercules enim scelere foedissimo peracto, simulatque virtutem suam et honestatem inquinatam esse animadvertit, ipse sibi mortem consciscere confestim decernit. Huc usque magis magisque adversa eius fortuna augescit. Jam vero in meliorem statum res mutatur Theseo adveniente. Is enim prudenti consilio adducit omni salute desperantem, ut Athenas ipsum secutus lustrari se patiatur.

Contemplanti autem adcurate utramque fabulam elucebit, in priore primas partes neque Herculis esse neque propinquorum eius, sed Lyci, qui, quoniam nimia imperitandi cupiditate flagrans laesit ius fasque morte multatur. In altera demum parte ipse Hercules princeps est persona. Quapropter levissimum censeo et minime subtile de nostra tragoedia iudicium tulisse Güntherum in libro, qui inscribitur „Grundzüge der tragischen Kunst“ p. 177: So entstehen 2 Teile, jeder mit seinem vollen Abschluss: der Held handelt mit Bewusstsein und triumphirt, der Held handelt ohne Bewusstsein als Mörder und trauert.“ Neque prioris fabulae neque posterioris videtur intellexisse vim atque indolem. Neque minus inanis est sententia, quam Arnoldt l. l. p. 38 de posteriore Herculis Euripideae parte proposuit: „Metabase ins Unglück für Hercules: sein durch Auftreten der Lyssa herbeigeführter Wahnsinn und Ermordung der eigenen Kinder, etwas gemildert durch die tröstenden und erhebenden Freundesworte des Theseus.“

Jam hoc evicisse nobis videmur de argumenti unitate quam Leo et Zastra opinabantur perspexisse, non posse cogitari. Quid autem causae habuerit Euripides, ut duplicem materiam in unius tragoediae angustias comprimeret, variae extant virorum doctorum coniecturae. C. Odofredus Müller Litt. gr. hist. p. 166, cui plerique astipulantur, id egisse Euripidem arbitratur, ut insperata summae felicitatis in extremam miseriam mutatione spectatorum animos commoveret. Verius tamen et multo subtilius Hartungi[1]) est iudicium. Eleganti sensu cognovit priorem tra-

[1]) praef. ed. Eur. Herc. p. 5 sqq. et Eurip. restitut. II p. 34.

goediae partem inlustrandae destinatam esse nobili Herculis naturae. Etenim poeta patris familias erga coniugem liberosque pietatem et amorem luculentissimo exemplo videtur ostendere velle, quo magis spectatorum misericordia moveatur, si paullo post eundem Herculem insania iam perturbatum, quos tanto amore prosequebatur, eorum hominum caedem perpetrasse accipiunt. Hoc ipso, opinor, consilio rem ita instituit poeta, ut tam copiose[1]) Hercules quanta liberos complectatur caritate explicet.

Seneca artiore videtur conatus esse vinculo duo illa argumenta inter se conectere. Nam toti fabulae praefantem fecit Junonem, ut non opus sit altero prologo in media fabula conlocato. Quam quidem compositionis mutationem Lessingius[2]) noster summis laudibus sustulit. Attamen id quod leges artis tragicae poscunt atque flagitant,[3]) ut necessitate quadam partes tragoediae inter se cohaereant, minime artificio illo adsecutus est. Effecit autem — quod iure monuit Bernhardyus gr. litt. II^2 p. 490 — prologo illo praemisso, quo Juno quid Herculi mali inlatura sit pronuntiat, ut felicitatis in posteriore parte eversio non iam sit inexpectata. Quapropter mutationem illam ipsam noluerim laudare. Sed exordio fabulae ita mutato alia quoque poeta novare coactus magnopere auxit vim atque vigorem tragoediae. Nam, quoniam Junonem primam procedere iussit in scaenam, non potuit sicut Euripides initio statim fabulae Amphitruonem et Megaram eiusque liberos ad Jovis Servatoris aram sedentes facere. Quare non iam tantas eorum finxisse videtur calamitates, ut in deorum eos tutelam confugere necesse esset. Neque Lycus adfinibus Herculis mortem iam minitatus est. Unde sequebatur, ut tyranni illius mores

[1]) Cf. Eur. Herc. v. 622 sqq. Nauck.

[2]) vol. IV p. 247, ed Lachmann.

[3]) Cf. Aristot. poet. VIII 1451 a 30 et praecipue verba quae sunt: *χρὴ οὖν.... τὸν μῦθον, ἐπεὶ πράξεως μίμησίς ἐστι, μιᾶς τε εἶναι καὶ ταύτης ὅλης καὶ τὰ μέρη συνεστάναι τῶν πραγμάτων οὕτως, ὥστε μετατιθεμένου τινὸς μέρους ἢ ἀφαιρουμένου διαφέρεσθαι καὶ κινεῖσθαι τὸ ὅλον· τὸ γὰρ προσὸν ἢ μὴ προσὸν μηδὲν ποιεῖ ἐπίδηλον, οὐδὲν μόριον τοῦ ὅλου ἐστίν.* et cap. 10.

paullo essent mutandi, qui non poterat esse, qualis in Euripidis tragoedia conspicitur, cruentus homo et ignavus, utpote qui securum imperio se frui posse desperet nisi tota Herculis prole funditus exstirpata.[1]) Hac autem necessitate videtur adductus esse poeta, ut invento felicissimo tragoediam suam ornaret. Nam Lycus Annaeanus ut regnum novicium stabiliat Megara constituit in matrimonium ducta se ipsum adfinitatis vinculo coniungere cum gente regia. Blandis igitur verbis eam adfatur, ut in gratiam secum redeat sibique placato animo nubere velit. At magna cum indignatione animi Megara voluntati eius obtemperare abnuit. Instat Lycus precibus adhortationibus. Verborum certamen huc illuc fluctuat, Amphitruo quoque conloquio se inmiscet, donec tyrannus, cum videat se amoris et mansuetudinis simulatione nihil proficere, vel ex coacta muliere se prolem generaturum esse profitetur. Ad quae illa respondet, id si faceret, se numerum expleturam esse Danaidum.[2]) Tum Lycus summa ira incensus et indignatione necem minitatur Megarae Amphitruoni liberis toti Herculis propagini. Quibus minis perterriti aram miseri complectuntur.

Haec omnia nonne ita comparata sunt, ut possit fieri scaena actionis et impetus tragici plenissima? Adgnosco certe in his ingenium poetae tragici et eorum quae scaenae sint adcommodata non hercle imperiti. Idcirco plane non perspicio quid Leonem impulerit, ut scriberet l. l. p. 162: „Amphitruo et Megara flendi causa inducti.“ Quod prorsus falsum est. Immo quod Senecae Leo iniuria obiecit id summo iure Euripidi licet vitio verti. Nam in graecae tragoediae priore parte nil fere audimus nisi alternas Amphitruonis Megarae chori lamentationes, quae semel tantum Lyci minis interrumpuntur. Quamobrem equidem, si fabulae utriusque huc usque compositionem specto, primas non dubito ad Senecam deferre. In singulis vero condendis romanum poetam graeco multo inferiorem

[1]) Eur. Herc. v. 165 sqq. Nauck.

[2]) Megarae apud Annaeum prorsus alios mores esse atque in Euripidea fabula perspexit A. Widemann, das Euripideische Drama und dessen Einfluss auf die dramat. Litteratur der späteren Zeit. II p. 22, ubi ea quae Senecae non sunt communia cum Euripide obiter recenset.

esse quivis videt. Molestae imprimis declamationes istae sunt de Herculis virtute distinctae illae omnibus rhetoricae artis luminibus. Quamquam ne in graeco quidem exemplari prorsus desunt.[1]) In sequentibus Seneca vestigia rursus legit Euripidea. Jubet Lycus ligna secta coacervare circa aras quibus accensis supplices flammis consumantur.[2]) Protinus vero de via qua graecus poeta praeiverat, iterum deflexit. Orationem liberorum quae in Euripidea fabula instituitur, Seneca omisit. Lycus abscedit Neptuno sacra facturus. Amphitruo cum Megara et liberis in scaena manet. Inter preces quibus ille Jovem invocat, ut sibi opituletur, sonitus subito auditur Herculis adpropinquantis. Sed priusquam heros in conspectum veniat chorus cantum movet admodum longum, quo virtutem Herculis laudibus effert eumque viribus suis devicturum esse orci rectorem praedicit. Hoc Leoni l. l. p. 161 ineptum visum est. Iniuria. Etenim dum Amphitruo verba edit illa

'Cur subito labant
Agitata motu templa? Cur mugit solum?
Audimur, est est sonitus Herculei gradus.'

Hercules sub terra adhuc putandus est adpropinquare. Nimirum adventus eius, utpote qui vir sit ingens et immanis ex longinquo animadvertitur. Cantico autem illo finito in scaenam procedit ipse heros, verum non sicut apud Euripidem solus sed Theseo comitante. Qua in re poeta invitis certe Musis exemplum Euripideum declinavit. Etenim recte Leo censuit Atheniensium regem narrandi causa productum esse.[3]) Copiosam et tumidam de pugna Herculis cum Cerbero descriptionem[4])

[1]) Eur. Herc. 157 sqq. Nauck.

[2]) Eur. Herc. 240 sqq. Nauck. Senec. Herc. 506 sqq.

[3]) Cf. H. Weil, revue archéologique, nouvelle série vol. XI p. 22 sqq.

[4]) Hanc inferorum descriptionem tractavit Liedloff in dissertatione 'de tempestatis necyomanteae inferorum descriptionibus' etc. Lipsiae 1884. Jure ille p. 23 Vergili aeneid. VI v. 385 sqq. primarium fontem esse contendit. In pugnae vero ipsius, quae exoritur inter Herculem et Cerberum descriptione 'quae suavius dicta sunt' ea Liedloff p. 28 Sophocli deberi suspicatur. Namque fidem habet Leoni qui l. l. 179 propter fragmentum Soph. 620 Nauck., Phaedrae illud a viris doctis adscriptum. in fabula illa Cerberi ex inferis deductionem narratam fuisse existimat. Ego tam credu-

omittere poeta rhetoricae arti maxime addictus non potuit animum inducere.[1] Postea Thesei persona parum apte vel potius non utitur. Nam dum Hercules insania abreptus coniugem et liberos enecat Thesei fidi scilicet amici ne ullum quidem verbum auditur. Quod poeta quo tandem consilio fecerit acutissime indagavit Henricus Weil.[2] Is enim normam illam Horatianam, qua quartam personam loquentem facere vetantur scriptores, a Seneca studiosissime servatam esse perspexit. Quae res luculentissime adparet in scaena illa quae est de adventu Herculis. Nam in Euripidea tragoedia Herculem ex orco praeter spem reversum uxor imprimis, ut par est, salutat et de eis quae apud inferos perpessus sit percontatur. Apud Senecam Megara ne sonum quidem edit, nimirum quia Amphitruo Theseus Hercules locuntur. Legis igitur illius rigore ac severitate obstrictus poeta Theseum per totum quartum actum tacere iussit.

Caedes autem illa coram spectatoribus perpetratur id quod Lessingio vehementer placuit, Leoni non ita. Ille ingeniose, ut solet, imaginem huius scaenae sibi informavit, qualis apud Romanos olim acta sit. Liceat ipsius verba adponere (l. l. p. 240): 'Allein der Dichter hat durch Hülfe der römischen Bühne deren Bauart von der unsrigen ganz unterschieden war, ein

lus non sum. Vix enim persuadere mihi possum, a Sophocle narrationem fabulae insertam esse, quae laxiore vinculo cum ipso argumento cohaeret, praesertim in extrema fabulae parte, ubi ad exitum poeta debuit properare. De fragmento illo Welckeri gr. trag. p. 399 mihi probatur sententia.

[1]) Cf. Excursum III.

[2]) Revue archeol. nouv. série XI p. 20 sqq. In codicibus praeter Ambrosianum (M) et Vaticanum (N) omnibus Theseo tribuuntur vv. 1032 sq. Sed iure nimirum Leo hos versus, quos Weilius l. l. p. 25 recte Theseo abiudicavit, choro dedit codices M et N secutus in eo capite observationum quod scripsit de personarum notis. (ed. Senec. trag. I p. 83.)

Ceterum in eo codice, unde descriptus est Etruscus primis nominum litteris personas significatas esse vestigium adest in Troadum v. 117, qui in Etrusco sic exhibetur:

'Hec. haec tibi nostra ferit dextra lacertos' e. q. s. Nimirum nominis Hecubae primam syllabam librarius pro demonstrativo quod dicitur habuit pronomine. Quod clarius etiam perspicitur, si quis ceterorum codicum memoriam contulerit, nimirum: 'haec tibi' Th(uaneus) 'Cho: tibi' A.

vortreffliches Spiel hier angebracht. Indem nehmlich Hercules seine Kinder und seine Gemahlin verfolgt und von Zeit zu Zeit den Zuschauern aus dem Gesichte kommt, so gehen alle die Ermordungen hinter der Scene vor, wo sie nur von den übrigen Personen auf der Bühne können gesehen werden. Von dem Amphitryo vornehmlich, welcher alles was er sieht, in eben dem Augenblicke sagt, und die Zuschauer also eben so lebhaft davon unterrichtet, als ob sie es selbst gesehen hätten.'

Cui opinioni hoc unum fortasse obstat quod omnino Annaei fabulae non videntur esse actae. Hoc novissime probavit Peiper praefationis in Senecae trag. nuper editas suppl. p. 6 sqq. cf. etiam p. 3. Argumentorum ab illo conlatorum gravissimum hoc mihi videtur esse, quod ea aetate, qua tragoediae istae compositae sunt, perpauci erant Romae homines, qui fabulis delectarentur. Plerique oculorum maxime spectacula iam Horatii temporibus concupiscebant.[1]) Nerone autem imperante iudicium populi romani et intellegentia adeo non subtilior et elegantior erat facta, ut etiam magis esset depravata et fere exstincta.

Sed utut res se habet, hac quoque scaena, quamvis sermo tumeat, poeta facultatem quandam vere tragicam haud dubie praestitit. Certe Leo frustra est, cum haec omnia rhetoricae libidini tribuat. Quasi haec scaena magis quam nuntius de Herculis facinore peracto idonea esset arti rhetoricae exercendae.

Denique extremum actum Seneca non prorsus ad exemplum Euripideae fabulae composuit. In graeca tragoedia Hercules expergefactus ubi non sine magno stupore vinculis se inermem ad columnae truncum adstrictum prope mortuorum corpora iacere animadvertit, num re vera evaserit ex inferorum sede dubius est. Itaque amicos vocat, ut veniant sibique ubi versetur aperiant. Tum in conspectum Amphitruo lacrimas fundens velato capite timidis gressibus adpropinquat. Quem quid lugeat confestim ille percontatur. Et paullulum quidem cunctatur Amphitruo gnati preces explere, cum vereatur vehementissime, ne Hercules ad sanitatem nondum reversus paterna caede

[1]) Cf. Horat. epist. II, 1. 182 sqq.

scelera sua cumulet. Mox vero, simulatque heroa fatali furore liberatum iam esse expertus est, sine ulla dubitatione filio caedem liberorum monstrat. Quo facto Hercules ipse sibi mortem decernit consciscere, quod ne faciat non impediunt Amphitruonis preces, siquidem perpaucis verbis gnatum adloquitur, sed Thesei qui hoc ipso tempore advenit adhortationes. Amici enim fidissimi opera et consilio adiutus heros gravissimo omnium labore suscepto ipse de se victoriam reportat. Haec nimirum est huius scaenae immo totius fabulae summa. Quae res ab Ottone Ribbeck praeceptore venerabili exposita est in programmate scholae Bernensis pagi anno 1860 emisso, p. 17 sq.

Videamus nunc vicissim quomodo Seneca rem instituerit. Hercules ibi alto gravique somno, quo oppressus erat post fatalem illum furoris impetum, excitus, ubi arma sibi adempta suosque nece confectos vidit, et parentem et Theseum obtestatur, ut sibi, quis tantum facinus patrare ausus sit aperiant. Iam poeta, quod unum facere debuit, si naturam hominum imitari voluit, eos facit silentes et caput obtegentes prae nimio dolore. Instantem Herculem Amphitruo adhortatur, ut ne altius in rem inquirat, graviora etiam imminere mala, si totam cladem cognovisset. Sed his responsis non contentus heros supplex manum parentis studet attingere, quam cum ille, ne scelere inquinetur, retrahat, iam facinus aliquod se ipsum perpetrasse opinatur. Atque hoc ipso temporis momento sagittas suas videt puerorum sanguine madefactas nec procul ipsum arcum, quem cum nemo nisi Hercules ipse tendere queat, tandem manifesto cognoscit a se ipso coniugem et liberos leto traditos esse. Admirabili igitur arte poeta effecit, ut neque ex patre Hercules neque ex amico, quos par erat scelus ab invito commissum occultare, totam perniciem comperiat, sed vestigiis quibusdam insistens paulatim ipse detegat. Quod ut primum accidit, heros de sua ipsius nece cogitat. Tum pater summa anxietate sollicitus gnatum omni ratione a fatali consilio studet avocare. Monet eum, non suum esse caedis crimen sed novercae. Neque Theseus omittit amicum adhortari, ut incepto letali decedens mala forti animo perferat. Interim Hercules, qui non sicut in Euripidea fabula Iunonis facinus esse concedit, sed se ipsum scelus

commisisse censet, nunquam desistit patrem rogare ut arma sibi ad necem perficiendam tradat. Quae nisi dentur se lucos in Cithaerone secum crematurum esse aut corpus suum sub templorum dirutorum ruinis sepulturum. Talibus dictis devictus Amphitruo arma filio reddit. Atque in eo iam est, ut Hercules ipse se interimat. Spectatorum autem animi inter spem et metum non possunt non fluctuare hoc momento, quo nimirum ad summum huius scaenae culmen pervenimus. Iam vero fortuna se vertit. Amphitruo v. 1300 verbis quae sunt:

'ecce iam facies scelus
volens sciensque.'[1])

inhibet Herculis impetum eumque impellit, ut aures rursus praebeat patris dictis. Is profitetur, si gnatus mortem obierit, sibi quoque in animo esse e vita decedere, ac ne verbis illis fides denegetur, ferrum iam pectori admovet. Tum Hercules parentis voluntati indulget et cum Theseo ut caedis crimine solvatur Athenas abscedit. —

Nempe hic quoque actus poetam prodit tragicae artis maxime compotem,[2]) quamquam virtutes eius ampullis adeo sunt obvolutae, ut paene lateant.

[1]) Cf. Senec. Phoen. v. 451. (Iocasta:)
'error invitos adhuc
fecit nocentes, omne Fortunae fuit
peccantis in nos crimen: hoc primum nefas
inter scientes geritur.'

[2]) Peiper, praefationis ad Senecae tragoedias nuper editas supplement. p. 20 sqq. tempus, quo Hercules ab Annaeo composita sit certis finibus conatus est circumscribere. Mentionem enim illam 'novi theatri' versu fabulae nostrae 839 ad theatrum quoddam Romae tunc temporis exstructum referendam necessario esse perspexit. Et ratione, ut non certa, probabili tamen statuit amphitheatrum indicari a Nerone prope campum Martium anno 810 aedificatum. Sed in ceteris temporum indiciis investigandis nimius certe fuit. Sic odoratus est Senecam eo solo consilio hanc tragoediam composuisse, ut libidinem Neronis in scaenam prodire cupientis fabularum recitationibus coerceret. Itaque factum esse, ut cum tragoediam istam 'non animi impetus genuisset sed extorsisset dira necessitas, desideraretur fervor iste adolescentiae,' quem deprendamus in Troadibus et in Medea. At vero hoc a me demonstratum esse spero, Herculem Annaeanam tragico impetu nequaquam carere.

Tertio loco ad singula quae utrique poetae communia sunt tractanda transeundum nobis est. Neque enim, quamquam magnam locorum messem Leo nobis praeripuit, ut nil fere nisi spicilegium reliquum sit, hanc partem prorsus possumus omittere, quia Leo materiam non penitus exhausit. Fugerunt Leonem haec. Senec. Herc. 260 = Eur. Herc. 4.

Senec. Herc. 500.	Eur. Phoen. 1675.
Dest una numero Danais: explebo nefas. Cf. Herc. Oet. v. 947.	*ΑΝΤΙΓΟΝΗ: νὺξ ἄρ' ἐκείνη Δαναΐδων μ' ἕξει μίαν.*

Senec. Herc. 626 = Eur. Herc. 525. Senec. Herc. 953. = Eur. Herc. 931.

Praesertim autem ea iuvat comparare, quae pertinent ad extremum fabulae actum, quos quidem locos in Leonis enumeratione praeter unum desidero omnes.

In primis statim versibus deprehendimus sententiam utrique poetae communem.

Deinde ea de causa hoc potissimum argumentum Senecam elegisse, opinatur, quia Nero cum Hercule comparari cuperet. Quod sane veri non est dissimile. Sed nunquam credam mentione ista serpentium in Senec. Herc. v. 216 sqq. poetam adludere voluisse ad serpentem istum olim in lecto Neronis pueroli deprehensum. Atque adeo prorsus falsum est quod scripsit Peiper p. 21: 'nam et Tac. an. XI 11. et Suetonius (Nero) 6 et Cassius Dio 61, 2 de serpentibus in infantis lectulo repertis — a Messalina noverca missos dicebant — referunt.' Conferas velim locum illum Suetoni: 'gratia quidem et potentia revocatae restitutaeque matris usque eo floruit, ut emanaret in vulgus, missos a Messalina uxore Claudii, qui eum meridiantem, quasi Britannici aemulum, strangularent. Additum fabulae, at eosdem dracone e pulvino se proferente conterritos refugisse. Quae fabula exorta est, deprensis in lecto eius circum cervicalia serpentis exuviis;' e. q. s. Vides tantum abesse, ut dracones isti a noverca Messalina missi sint, ut etiam sicarii serpentis istius adspectu facinus perpetrare sint prohibiti. Neque huic memoriae adversantur aut Tacitus aut Cassius Dio.

Denique Hercules ille insanus quem personatus Nero agebat certe non erat Annaeana fabula. Etenim Nero cum Herculem ageret catenis vinctus est, quod possit aliquis revocare ad Euripideam tragoediam nequaquam vero ad Annaeanam.

Eur. Herc. 1097.	Senec. Herc. 1143.
τί . . . . ἧμαι νεκροῖσι γείτονας θάκους ἔχων;	unde prostrata ad domum Video cruenta corpora?

Quae apud Senecam proxime secuntur, quamvis non prorsus concinant cum Euripideis, videntur tamen deberi horum versuum exemplo:

Eur. Herc. 1101 sqq.	Senec. Herc. 1144:
οὔ που κατῆλθον αὖθις ἐντολαῖς πάλιν Εὐρυσθέως δίαυλον εἰς Ἅιδου μολών;	an nondum exuit Simulacra mens inferna? post reditus quoque Oberrat oculis turba feralis meis?

Deinde conferendi sunt:

Eur. Herc. 1106.	Senec. Herc. 1149 sq.
ὠή, τίς ἐγγὺς ἢ πρόσω φίλων ἐμῶν, e. q. s.	Ubi es parens, ubi illa natorum grege Animosa coniunx?

Jam quae apud Euripidem leguntur v. 1111 sqq.

πάτερ, τί κλαίεις, καὶ συναμπίσχει κόρας
τοῦ φιλτάτου σοι τηλόθεν παιδὸς βεβώς;

eis felicissime paullo infra utitur noster v. 1173:

'Cur meos Theseus fugit
Paterque vultus? ora cur condunt sua?
Differte fletus;' e. q. s.

Antecedere iussit quae respondent Euripideis: v. 1124 sqq. '*καὶ τόν γε δήσαντ' εἶπ'· ἀναινόμεσθα γάρ.*' Inde enim videtur hausta esse illa de victore Herculis declamatio. cf. Senec. Herc. v. 1150—1159. Quamquam ea re discrepant inter se Euripideus Hercules et Annaeanus, quod ille se vinctum esse indignatur, hic arma vivo sibi esse detracta.

In sequentibus Euripidem aperte secutus est.

Senec. Herc. v. 1185 sq.	Eur. Herc. 1125:
Herc. quis fudit domum? Cui praeda iacui? Amph. tacita sic abeant mala.	*ΑΜΦ:* '*τοσοῦτον ἴσθι τῶν κακῶν, τὰ δ' ἄλλ' ἔα.*'

2

Postquam Hercules indiciis istis, de quibus supra dixi, scelus a se peractum esse cognovit, Amphitruo gnatum his verbis consolatur: Senec. Herc. 1200 sq.

'luctus est istic tuus,
Crimen novercae.'

Eandem sententiam apud Euripidem tuetur Theseus, Eur. Herc. v. 1191: *Ἥρας ὅδ' ἀγών·*
v. 1311: *οὐκ ἔστιν ἄλλον δαιμόνων ἀγὼν ὅδε*
ἢ τῆς Διὸς δάμαρτος· εὖ τόδ' αἰσθάνει.'[1])
nec mirum, siquidem ille easdem partes agit in graeca fabula quas Amphitruo in romana. Recte contulit Leo l. l. p. 161 adnot. 3. Eur. Herc. 1148 cum Seneca Herc. 1206. Conducit vero utrumque locum integrum inspicere, ut cognoscamus, quanam ratione talia imitari poeta noster consueverit.

Eur. Herc. 1146 sqq.	Senec. Herc. 1206 sqq.
οἴμοι τί δῆτα φείδομαι ψυχῆς ἐμῆς	Rupes ligatum Caspiae[2])corpus trahant
τῶν φιλτάτων μοι γενόμενος παίδων φονεύς,	Atque ales avida — cur Promethei vacant
κοὐκ εἶμι πέτρας λισσάδος πρὸς ἅλματα	Scopuli? vacat cur vertice immenso feras
ἢ φάσγανον πρὸς ἧπαρ ἐξακοντίσας	Volucresque pascens Caucasi abruptum latus
τέκνοις δικαστὴς αἵματος γενήσομαι	Nudumque silvis? illa quae pontum Scythen
ἢ σάρκα τήνδε τὴν ἐμὴν πρήσας πυρί,	Symplegas artat hinc et hinc vinctas manus

[1]) Cf. Eur. Herc. 1127. ubi eadem sententia tecte ab Amphitruone significatur.

[2]) Seneca eorum in numerum est adscribendus qui errore confuderunt Caspiorum et Caucasiorum montium nomina. Cf. Plin. h. n. VI 11, (12): 'ab iis sunt portae Caucasiae magno errore multis Caspiae dictae, ingens naturae opus' e. q. s. ibid. 13, (15): 'A Cyro Caspium mare vocari incipit. accolunt Caspi. Corrigendus est in hoc loco error multorum etiam qui in Armenia res proxime cum Corbulone gessere. Namque hi Caspias appellavere portas Hiberiae quas Caucasias diximus vocari, situsque depicti et inde missi hoc nomen inscriptum habent.' Etenim sequentia docent, poetam Caucasios montes significare velle.

δύσκλειαν ἣ μένει μ' ἀπώσομαι βίου;	Distendat alto, cumque revocata vice
	In se coibunt saxaque in caelum[1]) expriment
	Actis utrimque rupibus medium mare,
	Ego inquieta montium iaceam mora.
	Quin structum acervans nemore congesto aggerem
	Cruore corpus impio sparsum cremo?
	Sic sic agendum est: inferis reddo Herculem.

Euripides Herculem tres leti vias enumerantem facit. Aut de rupe se demittere ei impetus est aut gladio se iugulare aut igni corpus comburere. Annaeus horum necis generum unum praetermittit, sed in reliquis tumide amplificandis et augendis debacchatur. Non enim ei sufficit rupem aliquam commemorasse, sed certam quandam et mythographorum libellis vulgatam maluit proferre, neque in una nominanda adquievit, sed tota serie obruit auditores, ne de mythologica ipsius doctrina ambigant. Concludit autem inflatam declamationem rhetorico quodam lumine, quod tamen non ipse excogitavit, sed ex Euripidis fabula deprompsit Cf. Eur. Herc. 1247 *θανών, ὅθενπερ ἦλθον, εἶμι γῆς ὕπο.*

Versus Senec. Herc. 1227—1229 sine dubio ad exemplum confecti sunt Euripideorum versuum Herc. 1353—1357. Notandum vero est graeci poetae Herculem reapse lacrimas fundere, romani fletus edere nequire.

Denique hi versus utriusque poetae apte comparantur:

[1]) Hic locus Ricardo M. Smith in libello cui inscripsit 'de arte rhetorica in L. Annaei Senecae tragoediis perspicua' Lipsiae a. 1885 edito p. 47 inter hyperbolae exempla erat recensendus, cum praesertim gemellus sit loci a Smithio laudati. dico Med. v. 342 sqq.

Eurip. Herc. 1250.	Senec. Herc. 1239.
ὁ πολλὰ δὴ τλὰς Ἡρακλῆς λέγει τάδε	Nunc Hercule opus est: perfer hanc molem mali.
v. 1227 sqq. ὅστις εὐγενὴς βροτῶν, φέρει τὰ θεῶν γε πτώματ' οὐδ' ἀναίνεται.	v. 1274 sqq. surge et adversa impetu Perfringe solito. nunc tuum nulli imparem Animum malo resume, nunc magna tibi Virtute agendum est: Herculem irasci veta.
v. 1410. οὕτως πόνων σῶν οὐκέτι μνήμην ἔχεις;	
v. 1412. εἴ σ' ὄψεταί τις θῆλυν ὄντ' οὐκ αἰνέσει.	
v. 1414. ὁ κλεινὸς Ἡρακλῆς ποῦ κεῖνος ὤν;	
Eur. Herc. v. 1323 sqq. ἕπου δ' ἅμ' ἡμῖν πρὸς πόλισμα Παλλάδος ἐκεῖ χέρας σὰς ἁγνίσας μιάσματος δόμους τε δώσω e. q. s.	Senec. Herc. 1341. Theseus: nostra te tellus manet. Illic solutam caede Gradivus manum Restituit armis: illa te, Alcide, vocat Facere innocentes terra quae superos solet.

II.
De Troadibus Annaeana.

De Troadibus Annaeana quaestionem ita instituere in animo est, ut totam tragoediam perlustrantes non solum fontes unde sua romanus poeta hauserit indagare studeamus, sed etiam de universi operis compositione quid iudicandum sit inquiramus. Atque quae prona est coniectura Euripidis Troadum et Hecubae fabulas in usum suum vertisse Senecam, eam probaverunt Guilielmus Braun,[1]) nimius ille quidem ut solet in

[1]) in programmate gymnasii Weseliani 1870: 'de Senecae fabula quae inscribitur Troades.'

comparatione versuum Euripideorum et Annaeanorum, et Fridericus Leo.[1]) Sed neuter ita munere functus est, ut quaestio profligata iam plane putanda sit. Quae praefati singula videamus.

Prima in scaenam prodit Hecuba, cuius querelis comperimus Troiam destructam esse et principes Graecorum sortiri iamiam de Troadibus captivis. Quam scaenam ut componeret nonnullas sententias ex Euripideae Troadum prologo mutuatum esse Senecam docuit Braunius l. l. p. 2. Jam tristes adveniunt Troades et adhortante Hecuba epicedio colunt Hectoris Priamique manes. Atque hic accidit, quod aliis quoque locis accidisse Guilielmus Braun in m. rh. XX. p. 277 ostendit, ut ex sententia auctoris alicuius paucis tantum verbis expressa integrae scaenae condendae Seneca argumentum sumpserit. Sed quod Braunius l. l. p. 278 naeniae illius argumentum haustum esse suspicatur ex Eur. Troad. v. 37 sq.: 'Ἑκάβην κειμένην πυλῶν πάρος, δάκρυα χέουσαν πολλὰ καὶ πολλῶν ὕπερ' minus placet. Nam his verbis qui Seneca adduci potuerit, ut alternis vicibus Hecubam et chorum sortem miseram deplorantes faceret, ego non video. Immo videtur Seneca usus esse Eurip. Troad. v. 143 sqq.:

ἀλλ' ὦ τῶν χαλκεγχέων Τρώων
ἄλοχοι μέλεαι καὶ δύσνυμφοι,
τύφεται Ἴλιον, αἰάζωμεν
μάτηρ δ' ὡσεὶ πτανοῖς κλαγγὰν
ὄρνισιν ὅπως ἐξάρξω 'γὼ
μολπὰν οὐ τὰν αὐτὰν
οἵαν ποτὲ δὴ
σκήπτρῳ Πριάμου διερειδομένα
ποδὸς ἀρχεχόρου πλαγαῖς Φρυγίαις
εὐκόμποις ἐξῆρχον θεούς.

Hoc cantico finito Hecubam non iam in scaena praesentem fingi perspexit Swoboda in commentario accedente ad harum tragoediarum versionem anno 1830 Vindobonae emissam. Nam prodit Talthybius, qui enarrat conspexisse se sub solis ortum Achillis umbram, Polyxena ut sibi victima immoletur, magna voce flagitantem. Qua narratione Hecuba, si adesset,

[1]) ed. Senec. trag. I p. 170 sqq.

non potuit non commoveri, ut lamenta et questus effunderet. Sed altum silentium. Nec vero cur quove abierit regina aut indicatum est aut facile cogitari potest. Quare hic videmus fabulae tenorem interruptum. In describendo autem miraculo Hecubae Euripideae quosdem versus a poeta adhibitos esse ostendit Braunius l. l. p. 4.

Talthybii narratione finita procedunt Pyrrhus et Agamemno de immolanda Polyxena altercantes; ille patris voluntati ut obtemperent Graeci postulat, hic initio quidem acerbissimis dictis recusat regiam virginem immolandam tradere, tandem Calchanta vocari iubet promittens fatis se cessurum esse. Vates non solum virginem sacrificandam sed Hectoris etiam prolem de muro Troiae deiciendam esse dicit.

Argumenti huius nullum in Euripideis fabulis extat vestigium. Braunius quidem comparatione versuum quorundam ex Andromacha Euripidea sumptorum cum nostrae scaenae locis quibusdam probavisse sibi visus est Senecam hanc potissimum tragoediam imitatum esse. Sed contentionis illius inter Peleum et Menelaum plane diversum est argumentum, nec quos contulit Braunius versus eorum ulla est similitudo. Vide modo:

Senec. 250.	Eur. Androm. 645.
Iuvenile vitium est regere non posse impetum.	τί δῆτ᾽ ἂν εἴποις τοὺς γέροντας ὡς σοφοὶ καὶ τοὺς φρονεῖν δοκοῦντας Ἕλλησίν ποτε,᾽
Sen. 248:	Eur. Androm. 624 sq.
at tuam natam parens Helenae immolasti	πρὸς τοῖσδε δ᾽ εἰς ἀδελφὸν οἷ᾽ ἐφύβρισας, σφάξαι κελεύσας θυγατέρ᾽ εὐηθέστατον;
Senec. 300. (cfr. 260. 315)	Eur. Androm. 703 sqq.
v. 299: detrahe invidiam tuo Odiumque patri quem coli poena iubes.	ὡς καὶ σὺ σός τ᾽ ἀδελφὸς ἐξωγκωμένοι Τροίᾳ κάθησθε τῇ τ᾽ ἐκεῖ στρατηγίᾳ μόχθοισιν ἄλλων καὶ πόνοις ἐπηρμένοι.

Senec. 308.	Eur. Androm. 588.
nimium diu A caede nostra regia cessat manus.	σκήπτρῳ δὲ τῷδε σόν καθαιμάξω κάρα.

Haec sufficiant ad edocendum lectorem de licentia ista, qua Braunius quoslibet versus composuit, quorum ne sententia quidem similis sit. Taedet enim profecto inanes istas vanasque ariolationes singillatim omnes notare. Quare iam quae praeterea Braunius peccavit silentio praetermittam. Quod eo facilius mihi concessum iri spero, siquidem errores isti ultro oculos legentium offendunt. — Nec vero ille quae possint videri maiore cum iure comparata esse satis caute comparavit. Valde enim etiam lubricum est ex tragoedia, quae non in eodem versatur argumento, versus in comparationem vocare.

Saepius enim accidit, ut Euripides sententias quasdam ex alia fabula in aliam mutatis nimirum mutandis transferret. Quod spero perspicuum fore horum versuum comparatione:

Eur. Troad. v. 726.	Eur. Hecub. 225:
ἀλλ᾽ ὧς γενέσθω, καὶ σοφωτέρα φανεῖ· μήτ᾽ ἀντέχου τοῦδ᾽, εὐγενῶς δ᾽ ἄλγει κακοῖς, μήτε σθένουσα μηδὲν ἰσχύσειν δόκει	οἶσθ᾽ οὖν ὃ δρᾶσον; μήτ᾽ ἀποσπασθῇς βίᾳ μήτ᾽ εἰς χερῶν ἅμιλλαν ἐξέλθῃς ἐμοί· γίγνωσκε δ᾽ ἀλκὴν καὶ παρουσίαν κακῶν τῶν σῶν. σοφόν τοι κἀν κακοῖς ἃ δεῖ φρονεῖν.
Eur. Troad. 632.	Eur. Herc. 90.
οὐ ταὐτόν, ὦ παῖ, τῷ βλέπειν τὸ κατθανεῖν· τὸ μὲν γὰρ οὐδέν, τῷ δ᾽ ἔνεισιν ἐλπίδες.	ΜΕΓ.: λύπης τι προσδεῖς ἢ φιλεῖς οὕτω φάος; ΑΜΦ.: καὶ τῷδε χαίρω καὶ φιλῶ τὰς ἐλπίδας.

Hanc autem sensuum in tanta argumentorum diversitate similitudinem eorum etiam est contemplari, qui sunt in deperditarum fabularum frustulis explicandis disponendisque operam conlocaturi, ne nimia confidentia pro veris venditent veri tantum similia.

Multo probabilior est Welckeri coniectura[1]) Sophoclis Polyxenae deberi contentionem illam inter principes in fabula Annaeana. In hac enim fabula Sophoclea, si summi viri credere licet disputationi, locus fuit altercationi inter Neoptolemum et Agamemnona. Quamquam hoc certis argumentis nequit probari; pro certo autem licet adfirmari ad iurgium illud componendum versus quosdam Hecubae Euripideae a Seneca adhibitos esse. Braunius l. l. p. 5 recte contulit Eur. Hecub. 260 cum Senec. Troad. 292 sqq. Praeterea autem comparandi sunt:

Eurip. Hecub. 277 sq.	Senec. Troad. 285 sqq.
μή μου τὸ τέκνον ἐκ χερῶν ἀποσπάσῃς,	quidquid eversae potest
μηδὲ κτάνητε· τῶν τεθνηκότων ἅλις.	Superesse Troiae, maneat: exactum est satis
	Poenarum et ultra est.

Hac autem scaena nulla fit Talthybii mentio, ut dubium sit, utrum abierit ille necne. Neque adventus Pyrrhi et Agamemnonis ullo indicio denotatur. Quod tamen patienter tolerarem, quoniam talia Senecam saepius sibi indulsisse Leo[2]) demonstravit, nisi aliud etiam accederet. Chorus enim hac scaena peracta subtilem instituit quaestionem, num omnino animus post mortem possit durare. Pervenit autem eo, ut nullam fidem habendam esse statuat vanis de inferorum regno fabulis. Itaque in ea adquiescit opinione Achillis umbram non potuisse omnino comparere. Nimirum haec aperte respiciunt ad Talthybii narrationem de Achillis simulacro, non quadrant, postquam Calchas virginem immolari puerum de turre praecipitari iussit. Nam in tanto rerum discrimine sat insulsum est chorum tam ieiunas frigidasque sententias exponere. Neque vero cum hoc cantico quae proxime secuntur Andromachae verba

v. 409 sqq. „Quid, maesta Phrygiae turba, laceratis comas
Miserumque tunsae pectus effuso genas
Fletu rigatis?“

ulla ratione queunt conciliari. Hoc sano iudicio sensit Swoboda l. l. p. 93. Inde quid ille concluserit de hac re infra

[1]) Graec. trag. p. 181 sq.
[2]) ed. Senec. trag. I, p. 97.

sum disputaturus, notasse interim sufficiat nexum videri deesse primum inter narrationem Talthybii et Pyrrhi Agamemnonisque contentionem, deinde inter iurgium illud principum et proximum canticum denique ante Andromachae adventum.

Pergo ad optimam totius fabulae scaenam, qua agitur Astyanactis ab Ulixe ad caedem deductio. Braunius l. l. p. 6 huius scaenae exemplum in Troadibus Euripidea extare recte negavit. Nec eum fugit somnium Andromachae aperte respondere illi, quod ab Hecuba in Euripidea Hecuba[1]) narratur. Sed quod Andromacha Euripidea suspicatus est Senecam ita usum esse, ut Astyanactem a matre abscondi fingeret sicut illic Molossus ab Andromacha occultaretur, in ea re eum a vero prorsus aberravisse post ea quae supra disserui omnes confido concessuros esse. Ex Accio potius sive, quem is secutus est, ex Sophocle veri simile est Senecam sua deprompsisse. Quamquam hoc discriminis intercedit inter Acii fabulam et Annaeanam, quod illic puer in saltu procul a Troia sito videtur occultatus fuisse, cum apud Senecam matre adhortante in ipsum patris tumulum confugiat. Atque huius rei non alienum est coniectare Senecam inventorem extitisse. Nam foedissima quaeque ei quam maxime erant in deliciis. Neque tamen desunt sententiae, quas poeta sine dubio ex Troadum fabula sumpsit. Quas tantum non omnes conlegit Braunius l. l. p. 6—8. Addo:

Eur. Troad. 730.	Senec. Troad. 478.
πόλις τ' ὄλωλε καὶ πόσις.	Arx illa pollens opibus et muris deum,
	Gentes per omnes clara et invidiae gravis
	Nunc pulvis altus, strata sunt flamma omnia.

Eur. Troad. 740 sqq.	Senec. Troad. 491.
ὦ φίλτατ', ὦ περισσὰ τιμηθεὶς τέκνον	Grave pondus illum magna nobilitas premit.
θανεῖ πρὸς ἐχθρῶν μητέρ' ἀθλίαν λιπών.	
τὸ δ' ἐσθλὸν οὐκ ἐς καιρὸν ἦλθέ σοι πατρός.	

[1]) Cf. Leo l. l. p. 172.

Eur. Troad. 745 sqq.	Senec. Troad. 766 sqq.
ὦ λέκτρα τἀμὰ δυστυχῆ τε καὶ γάμοι, *οἷς ἦλθον εἰς μέλαθρον Ἕκτορός ποτε,* *οὐ σφάγιον υἱὸν Δαναΐδαις τέξουσ᾽ ἐμόν,* *ἀλλ᾽ ὡς τύραννον Ἀσιάδος πολυσπόρου.*	et praecipue verba quae sunt: Genetricis o spes vana, cui demens ego Laudes parentis bellicas, annos avi Medios precabar, vota destituit deus. Iliaca non tu sceptra regali potens Gestabis aula, iura nec populis dabis e. q. s.
Eur. Troad. 752.	Senec. Troad. 681.
οὐκ εἶσιν Ἕκτωρ κλεινὸς ἁρπάσας δόρυ *γῆς ἐξανελθὼν σοὶ φέρων σωτηρίαν,*	rumpe fatorum moras, Molire terras, Hector, ut Ulixen domes. Vel umbra satis es — arma concussit manu Iaculatur ignes — cernitis, Danai, Hectorem? An sola video?

Ultimus autem, quem adposui, locus exemplo est, quemadmodum Seneca sententias, quas imitatur, variare soleat et augere.

Talthybii fortasse verbis, quae leguntur Eur. Troad. 721: '*νικᾷ δ᾽ Ὀδυσσεὺς ἐν Πανέλλησιν λέγων*', Seneca adductus est, ut Ulixem non solum auctorem fatalis in Astyanactem sententiae verum etiam actorem fingeret. Quamquam alius etiam extat fons, unde hoc manasse non sine probabilitate statuamus. Est enim similitudo quaedam inter hanc Senecae scaenam et eam Hecubae Euripideae partem, quae est de abducenda ad immolationem Polyxena. De somnio Andromachae apud Senecam supra dictum est. Accedunt alia. Hecuba Euripidea, postquam a choro Troianarum mulierum quae sors filiae immineat certior facta est, has fundit querelas:

v. 159 sqq. *τίς ἀμύνει μοι; ποία γέννα*
ποία δὲ πόλις;
φροῦδος πρέσβυς, φροῦδοι παῖδες.

ποίαν ἢ ταύταν ἢ κείναν
στείχω; ποῖ δ᾽ ἥσω; ποῦ τις θεῶν
ἢ δαίμων νῷν ἐπαρωγός;

Similia nonne sunt quae leguntur Troad. Senec. v. 476 sqq.

heu me, quis locus fidus meo
Erit timori quave te sede occulam?
Arx illa pollens opibus et muris deum,
Gentes per omnes clara et invidiae gravis,
Nunc pulvis altus, strata sunt flamma omnia
Superestque vasta ex urbe ne tantum quidem,
Quo lateat infans — quem locum fraudi legam?

Conferas praeterea:

Eur. Hecub. v. 280:	Senec. Troad. v. 703.
ἥδ᾽ ἀντὶ πολλῶν ἐστί μοι παραψυχή, *πόλις τιθήνη βάκτρον ἡγεμὼν ὁδοῦ.*	Miserere matris: unicum adflictae mihi Solamen hic est.

Non obstat quod eisdem versibus Euripideis Seneca infra etiam usus est v. 958, nam loci quoque isti fabulae romanae inter se paene sunt gemini.

Denique sicut in Euripidea Hecuba v. 422 sq. Polyxena mandata quaedam matris abitura ad Priamum et Hectorem secum aufert, ita apud Senecam Andromacha puero morituro mandat oscula lacrimas, crines querelas quae tradat patri apud inferos versanti. Quae cum ita sint, non prorsus improbabilis videtur esse coniectura, Senecam id quoque ex Hecuba potissimum Euripidea mutuum sumpsisse, quod Ulixem ipsum Talthybii loco legatum induxit. Quamquam lubricum concedo esse iudicium hac de scaena, siquidem versamur in materia a rhetorum discipulis saepissime tractata, ut me monuit Ribbeckius.

Sequenti cantico mulieres Troianae anxiae quaerunt, quae regio Graeciae eis in posterum sit habitanda servis. Sententiarum magnam partem fluxisse ex Eurip. Troad. v. 184 sqq. 197 sqq. 1081 sqq. Danielus Heinsius vidit. Addidit Leo l. l. p. 171.

Euripideae Hecubae versus 444 sqq. in eadem versari materia. Versus nonnullos ex utriusque poetae tragoediis petitos composuit Braunius nulla ille Heinsii mentione facta.

Unum vero valde mihi videtur esse memorabile. In Troadibus Euripidea versus 184 sqq. antecedunt scaenam illam, in qua de mulierum sortitione facta nuntium profert Talthybius: idem est harum rerum ordo apud Annaeum: nam ibi quoque post canticum illud, de quo nunc quaestionem instituimus, certiores fiunt de sorte sua Hecuba et quae sunt ceterae nobiles Troianae mulieres. In Euripidis autem Hecuba canticum, quod nostro respondet, sequitur scaenam inter Polyxenam Hecubam Ulixem, unde nonnulla vidimus Senecam mutuatum esse ad scaenam, quae in Astyanactis deductione versatur, perficiendam. Quae quidem scaena ipsa quoque a cantico nostro excipitur. Quare utriusque Euripideae tragoediae imitatione fortasse factum est, ut hac potissimum fabulae sede poeta canticum illud conlocaret.

Pervenimus ad quartum fabulae romanae actum, cuius angustiis Seneca inclusit, quae in Troadibus Euripidea per tria episodia videmus esse disposita. In graeca fabula primum Talthybius ab Hecuba interrogatus quae nobilium feminarum futura sit sors exponit. Quo facto Cassandram statim ex aedibus produci iubet. Sed iam ipsa divino furore excitata facem manu gestans procursat in scaenam. Vaticinatur autem quae mala impendeant Agamemnoni Ulixi universae Graecorum classi. Neque invita ad navem sequitur praeconem, quoniam probe scit propter se ipsam Agamemnonem a coniuge interfectum iri. Tum chorus carmine noctem illam depingit, qua, postquam ecum fatalem ligneum intra moenia traxerunt Troiani, urbs expugnata et deleta est. Iam Andromacha cum filiolo advehitur, quae de morte Polyxenae a Talthybio antea tecte tantum significata miseram matrem certiorem facit. Vix autem ex tanta clade et calamitate aliquantum Hecuba animum recepit, cum Talthybius rursus adest Astyanactem ex matris sinu ad supplicium abrepturus. Proximo denique episodio Helena ab irato marito ex diruta urbe protracta causam suam coram Hecuba defendere conatur.

Ex tanta materiae abundantia capita tantum Seneca elegit sententiarum nec sane absque sollertia quadam et sano iudicio.[1]) Ante omnia noluit omittere Helenam totius belli causam. Sed non placuit ei sicut Euripidi personae illius inducendae gratia scaenam integram inserere, quae laxiore nexu cohaereret cum totius fabulae argumento. Quod ut fieret excogitasse videtur, quod plane eius dignum est ingenio, ut Helenam produceret pronubam Polyxenae Achillis umbrae tamquam nupturae. Itaque cum unum Talthybii Euripidei munus Helenae tribuisset, nuntium de regiae virginis fato, id quoque eidem feminae mandavit, ut de sortitione facta apud mulieres Troianas referret.

Iam vero singula, quae ex tragoedia Euripidea redundavere, spectemus. Et quae ultro, ut ita dicam, oculos incurrunt, ea contulit Braun l. l. p. 9 sqq. Addo, quae ipse observavi.

Possunt fortasse conferri:

Eur. Troad. 259, ubi Talthybius de Cassandra loquitur: *οὐ γὰρ μέγ' αὐτῇ βασιλικῶν λέκτρων τυχεῖν*; et Senec. Troad. 874 (Helena de Polyxena):

'tale coniugium tibi
Non ipsa sospes Troia, non Priamus daret.'

Braunius contulit:

Senec. Trod. 967 sqq.	Eur. Hecub. 372.
'Laetare, gaude, nata, quam vellet tuos Cassandra thalamos, vellet Andromache tuos.'	*'μῆτερ σὺ δ' ἡμῖν μηδὲν ἐμποδὼν γένῃ λέγουσα μηδὲ δρῶσα· συμβούλου δέ μοι θανεῖν πρὶν αἰσχρῶν μὴ κατ' ἀξίαν τυχεῖν.'*

et Eur. Troad. 679:

*ΑΝΔΡΟΜ. 'ἆρ' οὐκ ἐλάσσω τῶν ἐμῶν ἡγεῖ κακῶν
Πολυξένης ὄλεθρον, ἣν καταστένεις;'*

[1]) Cassandrae figuram, qualis ab Euripide delineata est, Seneca, cum in hac fabula non imitatus sit, non prorsus tamen neglexit. Qua de re conferas, quae in proximo capite disserui p. 36 sqq.

Apte etiam in comparationem vocatur:
Eur. Troad. 268: 'εὐδαιμόνιζε παῖδα σήν· ἔχει καλῶς'.
Porro conferendos esse duxi versus.

Senec. Troad. 969:
'Nos Hecuba, nos, nos, Hecuba, lugendae sumus,
Quas mota classis huc et huc sparsas feret;
Hanc cara tellus sedibus patriis teget.'

Eurip. Troad. 630.
'ὄλωλεν ὡς ὄλωλεν, ἀλλ᾽ ὅμως ἐμοῦ
ζώσης γ᾽ ὄλωλεν εὐτυχεστέρῳ πότμῳ.'

Indole autem etiam Talthybii Euripidei Seneca imbuit Helenam suam, quod confido horum versuum comparatione dilucidum fore:

Eur. Troad. 713:
ἔδοξε τόνδε παῖδα — πῶς εἴπω λόγον;
v. 717:
οὐκ οἶδ᾽ ὅπως σοι ῥᾳδίως εἴπω κακά.

Senec. Troad. 924 sqq.
nunc hanc luctibus paulum tuis,
Andromacha, omissis flecte — vix lacrimas queo
Retinere.
Cf. etiam verba Helenae quae leguntur v. 938., quae produnt misericordiam eius.

Secuntur chori canticum extremum et nuntius de obitu Astyanactis et Polyxenae. Quam in partem fabulae quae ex Euripidis Troadibus et Hecuba fluxerunt collegit Braunius l. l. p. 10—12.

Restat, ut quae ad totius fabulae compositionem spectantia in decursu disputationis nostrae observavimus colligamus et quid inde efficiendum sit spectemus. Gravissimum est, quod Andromachae prima verba v. 409 sqq. neutiquam possunt conciliari cum proxime antecedentibus. Neque minus est offensioni, quod Hecubae inde a versu 164 usque ad quartum fabulae actum nulla prorsus habetur ratio. Neque tamen utrum abscesserit necne ullo modo est indicatum. Quae praeterea notanda sunt, ea proponam ubi de Swobodae sententia dixero. Is enim offensiones istas removere vel potius quem ad modum ortae sint explicare studuit. Suspicatur autem non unam nos

tenere tragoediam sed duarum a duobus auctoribus compositarum mutilata et in centonem consuta fragmenta. Ad alteram fabulam pertinere contendit initium Troadum usque ad primi cantici finem quocum olim coniunctum fuisse arbitratur tertium actum. Praeterea huius fabulae partem fortasse etiam extremi actus exitum esse opinatur. Alteri fabulae, quae restant, tribuit omnia excepto ultimi actus initio, quod a librario quodam insulso ad centonem explendum compositum esse existimat. Illius autem tragoediae auctorem personarum indolem ac naturam describere maluisse, huius disputandi magis compotem fuisse artis.

At vero hanc opinionem ne comprobem prohibent me gravissimae causae. Primum enim nostrae fabulae actui primo non bene adiungitur scaena illa, qua conlocuntur Andromacha senex Ulixes. Nimirum ne illic quidem ullae sunt Hecubae partes, quae tamen non muta profecto potest fingi in tanto nepotis periculo. Deinde quartus actus, qualis nunc est, nequit coniungi cum altero actu. Denique quod Swoboda dixit alterius fabulae auctorem magis valuisse ad exprimendos personarum mores, ne id quidem concedendum est, quoniam earum, quae illuc pertinent, scaenarum argumenta eiusmodi erant, ut poetam quasi adlicerent ad talem morum descriptionem. Quibus de causis mihi haec sententia minime probatur. Itaque quid ipse iudicem aperiam. Sunt autem indicia, quibus in eam adducar suspicionem, ut prima nobis tradita esse existimem futurae tragoediae lineamenta. Sic enim videtur explicandum esse, quod cantus ille chori, qui continetur versibus 371—408, haud apte insertus est post altercationem Pyrrhi et Agamemnonis.

Sunt alia, quae idem suadeant. Valde enim est notabile, quod Talthybii, postquam visum illud enarravit, nullae sunt partes. Quin etiam poeta summa cura videtur cavisse, ne praeconem inducere opus esset. Nam quod munus erat Talthybii, ut de sortitione facta nuntiaret, id vidimus a poeta Helenae tributum esse. Quocirca suspicio mihi oritur, Senecam Euripidis exemplo, quippe qui in Troadibus ipse quoque post primum chori canticum prodeuntem fecerit Talthybium, adductum esse, ut praeconem in scaenam produceret. Mox vero consilio mutato Talthybii partes ad Helenam transtulisse. Nec

profecto praecone in fabula romana opus erat. Nam quae ille enarrat ea poterant vel ex sermonibus Agamemnonis et Pyrrhi aperta fieri. Atque hae fere sunt causae quibus commotus iudicium istud de Troadibus Annaeana, quod modo proposui, mihi conformavi.

Ergo, quae in mentem ultro venerunt, ea poetam litteris mandasse iudico securum interim de totius operis compositione.

III.

De Phoenissis Annaeana.

Singularem locum in corpore tragoediarum Annaeanarum obtinet Phoenissae sive Thebais. Deest chorus nec ullo vinculo singulae partes, ut nunc sunt, inter se cohaerent. Quo factum est, ut diversissimae de hoc poemate prolatae sint sententiae.

Olim unius fabulae fragmenta se manibus tenere viri docti putabant. Qua sententia abiecta primus, ut videtur, D. Heinsius duarum tragoediarum reliquias deprehendisse sibi visus est. Hanc opinionem qui proxime secuti sunt libenter adripuere, novissime in hanc partem disputaverunt Gustavus Richter[1]) et Paullus Habrucker.[2]) Ille priorem poematis partem (v. 1—362) Oedipi Colonei imitationem, Habrucker Oedipi Cithaeronii esse reliquias suspicabantur. Uterque rectissime refutatus est a Theodoro Birt[3]), qui summo nimirum iure Richtero opposuit Oedipum Annaeanum nec versari Coloni nec eo esse migrantem. Habrucker autem, qui potuerit fingi Oedipi illius Cithaeronii exitus, ne suspicari quidem ausus est.

Tum Guilielmus Braun[4]) miram poematis nostri condicionem explicare studuit. De cuius disputatione quid sentiam infra exponam, postquam de Leonis et Birtii sententiis dixero.

[1]) De Seneca tragoediarum auctore. Bonnae 1862 p. 21 sq. Adsentientem habuit Lucianum Müller ann. philol. vol. LXXXIX 1864 p. 425.
[2]) Quaestionum Annaeanarum capita IV Regimonti 1873 p. 22 sqq.
[3]) mus rhen. XXXIV p. 516 sq.
[4]) mus. rhen. XX p. 271 sqq.

Leo[1]) igitur negavit tragoediarum aut perfectarum olim reliquias aut perficiendarum initia nos tenere, sed suasorias quasdam scaenico apparatu exornatas. Prima autem suasoria quaeri existimat 'an peractis omnibus illis ab insciente sceleribus et poena iam data etiam moriendum esset Oedipo'. Neque infitiari volo hanc scaenam colorem quendam habere suasoriae haud dissimilem. Sed tamen, si reliquas Phoenissarum partes specto, gravissimae mihi oriuntur dubitationes, num reapse Leo verum adsecutus sit. Namque quis tandem scaenam illam, in qua Oedipo periculum Thebis instare iam plane nuntiatur, pro suasoria habebit, quis proximam scaenam, ubi Iocasta, simulatque filios armis inter se decertaturos esse audivit, praeceps in campum avolat, ut scelus funestissimum prohibeat? Accedunt alia, quae huic opinioni refragantur, quae legas apud Birtium l. l. p. 517.

Venio ad ipsam hanc Birtii disputationem, qua probare conatus est excerpta tantum ad nos pervenisse tragoediae, cui re vera olim nomen fuisset Phoenissis. Non enim optimo libro, in quo sic fabula nostra inscribatur, diffidendum esse censet. Quare iam examinemus argumenta, quibus opinionem suam stabilivit. Primum autem ex condicione primae scaenae, utpote quae minime ad ea, quae secuntur, animos spectatorum praepararet, concludendum esse duxit initium fabulae perisse prologum nimirum et primum canticum. Deinde lacunas nonnullas hiare in ipso scaenae primae decursu velut ante versum 140, ubi sollicitas Antigonae preces intercidisse cum Swoboda suspicatur. Idem ante verba Oedipi quae sunt (v. 306) 'gnata quid genibus meis fles advoluta, quid prece indomitum domas?' accidisse cum Peipero opinatur.

Neque tamen haec lacuna iure statui mihi videtur, quia neque desideramus quidquam et verbis illis 'quid genibus meis fles advoluta' gestus sane Antigonae indicatur, qui haud scio an sufficiat ad animum senis mitigandum. Sed, utut est, certe non ideo excerptum tantum tragoediae traditum nobis

[1]) ed. Senec. trag. I p. 75 sqq.

esse iure existimamus, quia non integra fabula nobis relicta sit. Quare haec Birtii argumenta non satis firma videntur esse.

Neque magis mihi probantur quae praeterea pro sententia sua locutus est. Haeret enim in versu 320 sqq.:

'Exemplum in ingens regia stirpe editum
Thebae paventes arma fraterna invocant
Rogantque tectis arceas patriis faces.'

Negat versum 320 Antigonae esse tribuendum, quia filiam minime deceat mentionem facere paterni facinoris. Quamobrem, quoniam ne antecedentia quidem verba quae sunt 'iubente te vel vivet' sustinere posse videantur sententiae gravitatem, sic locum restituendum esse censet:

'Iubente te praebebit alitibus iecur,
Iubente te vel vivet omnis flagiti
Exemplum in ingens regia stirpe editum.'

Sed ipse sentit haec stare non posse, siquidem Oedipus verba illa in itinere ad Cithaeronem instituto loquitur, Antigona ea quae secuntur in ipso Cithaerone. Quam difficultatem ita tollit, ut ab excerptore isto satis hercle putido duas scaenas violenter in unam contractas esse statuat. Nunquam credam. Nequaquam enim v. 319 coniungitur recte cum v. 320. Vim enim verborum illorum 'iubente te vel vivet' quis non sentit imminui et infringi vel uno addito verbo? De v. 320 autem nil fere possumus iudicare. Desideratur certe pronomen, quod dicitur, personale. Sed iure Leo videtur suspicatus esse unum saltem versum in initio huius scaenae interisse.

Porro in vv. 363—367 excerptorem Birtius deprehendisse sibi visus est. Verba sunt haec:

'Felix Agaue: facinus horrendum manu
Qua fecerat, gestavit et spolium tulit
Cruenta nati maenas in partes dati;
Fecit scelus, sed misera non ultro suo
Sceleri occucurrit.'[1])

[1]) Proxime sequentibus colorem quendam poeta induxit rhetoricum, quem in parentis quoque scriptis deprehendi. Exprimitur namque cumulus alicuius rei ita, ut id, quod summum iam accedit, unum adhuc dicatur defuisse.

His versibus negat poema ullum apte incohari. Quod, ut verum sit, inde non sequitur, ut excerptoris desidia verum initium omissum esse statuamus. At offensioni est, quod comparationes illae, quibus Iocasta suam ipsius sortem cum fato Agauae confert, non sunt omnibus numeris absolutae, siquidem non descripta est sors Iocastae qualis sit. Ergo haec excerptoris culpa periere. Quasi vero non facillime, quae poeta tacuit mente unus quisque suppleret. Quid? quod duarum illarum comparationum altera perfecta plane et absoluta est. An vero quisquam addendum quidquam censet esse ad verba quae sunt:

'Fecit scelus; sed misera non ultro suo
Sceleri occucurrit.'

Nempe in altera huius enuntiati parte latet sententia ista, quam Birtius requirit.

Ultimum argumentum petivit ex Phoenissarum exitus condicione, quem negat verum exitum esse. Neque ego is sum, qui hanc opinionem impugnare audeam: exitu sane videtur fabula carere. Sed ne ea quidem re evincitur Birtii

Cf. Senec. controv. I, 3, 1: 'hoc expectastis, ut capite demisso verecundia se ipsa antequam impelleretur, deiceret? id enim deerat ut modestior in saxo esset quam in sacrario fuerat.' Sic Senec. Phoen. v. 369: 'derat aerumnis meis, ut et hostem amarem.' Adamasse autem videtur Seneca hunc colorem, utpote quo passim in his tragoediis usus sit:

Cf. Herc. f. 832 sq. 'Derat hoc solum numero laborum,
Tertiae regem spoliare sortis.'

Troad. v. 888 sq. 'Hoc derat unum Phrygibus eversis malum,
Gaudere.'

Cf. etiam Senec. consol. ad Helv. 2, 5: 'Intra vicesimum diem, quam filium meum — — — funeraveras, raptum me audisti: hoc adhuc defuerat tibi lugere vivos.'

Porro cf. Med. 37: 'Hoc restat unum, pronubam thalamo feram
Ut ipsa pinum' e. q. s.

ibid. v. 498: 'Restat hoc unum insuper,
Tuis ut etiam sceleribus fiam nocens.'

Denique huc pertinet:

Senec. Phoen. 513 sqq.: 'Nequid e fatis tibi
Desset paternis, hoc quoque ex illis habes,
Errasse thalamis.'

Senec. Herc. f. 17 sq. 'ne qua pars probro vacet,
Mundus puellae serta Cnosiacae gerit.'

de excerptore opinio. Nimirum variis modis potuit accidere, ut extrema fabulae pars interiret. Quid, si poeta opus suum infectum reliquit? Nam quod Birtius l. l. p. 517 dubitat, num possit fieri, ut in corpore tragoediarum ad editionem curandam perpolitarum tertium sive quartum locum obtineat truncum opus et incohatum, hoc non iure videtur facere. Etenim tragoediae istae adeo non sunt perpolitae, ut Godofredus Hermann[1]) iudex profecto harum rerum peritissimus ultimam eis manum non videri impositam esse censuerit. Igitur de excerptore isto Birtius mihi non persuasit.

In proxime sequentibus totum tragoediae, qualem olim extitisse sibi finxit, decursum adumbravit. Hae nimirum merae sunt coniecturae, quae, quandoquidem iustis causis non sunt firmatae, nequeunt refutari.

Transeo ad Braunii dissertationem.[2]) Is titulum 'Phoenissae' recte habere existimat, quia Euripidis Phoenissas ad imitandum Seneca sibi proposuerit et quia in codice Etrusco poema nostrum sic inscribatur. Opinionem autem eorum, qui duarum fabularum fragmenta servata nobis esse censeant, non posse redargui nisi ita, ut utramque poematis partem ad unius fabulae exemplum compositam esse certis argumentis evincatur. At meo quidem sensu ea ratione plane nil probatur. Nam poterat poeta ex una fabula praesertim ex Phoenissis Euripidea facillime duas tragoedias efficere. Hoc certe non est improbabile; evincere autem possum, Senecam una graeca fabula, Troades dico Euripideam, ita usum esse, ut ad duas romanas exornandas quaedam inde hauriret. Troades igitur Euripidis maximam partem in ea imitatus est fabula, quam ipse quoque Troades inscripsit. Sed omisit in hac tragoedia, quod supra adnotavi, Cassandrae personam, cuius apud Euripidem haud exiguae partes sunt. Atque hanc Cassandram, qualem in Troadum fabula Euripides descripsit, Seneca in Agamemnonem transtulit. Ibi enim vates Troiana diversae prorsus est naturae et indolis, atque in fabula Aeschylea. Mansuetum nempe

[1]) elem. doctr. metr. p. 387 et p. 431. Cf. Peiperi et Richteri praef. ad ed. Senec. trag. p. VII adnot.

[2]) mus. rhen. vol. XX p. 271 sqq.

animum praestat in divina graeci illius poetae tragoedia miseretque eam Agamemnonis. Apud Senecam vero agitata furore gaudet vehementerque laetatur de caede Agamemnonis, ut qui parentes propinquos, patriam libertatem sibi ademerit.[1]) Haec ad Euripidem referenda esse perspicies, si contuleris:

Eurip. Troad. 353 sqq.

μῆτερ, πύκαζε κρᾶτ᾽ ἐμὸν νικηφόρον
καὶ χαῖρε τοῖς ἐμοῖσι βασιλικοῖς γάμοις e. s.

v. 356. *εἰ γὰρ ἔστι Λοξίας,*
Ἑλένης γαμεῖ με δυσχερέστερον γάμον
ὁ τῶν Ἀχαιῶν κλεινὸς Ἀγαμέμνων ἄναξ.
κτενῶ γὰρ αὐτὸν κἀντιπορθήσω δόμους
ποινὰς ἀδελφῶν καὶ πατρὸς λαβοῦσ᾽ ἐμοῦ.

v. 458 sqq.

χαῖρέ μοι, μῆτερ, δακρύσῃς μηδέν, ὦ φίλη πατρίς·
οἵ τε γῆς ἔνερθ᾽ ἀδελφοὶ χὠ τεκὼν ἡμᾶς πατήρ,
οὐ μακρὰν δέξεσθέ μ᾽· ἥκω δ᾽ εἰς νεκροὺς νικηφόρος
καὶ δόμους πέρσασ᾽ Ἀτρειδῶν, ὧν ἀπωλόμεσθ᾽ ὕπο.

Senec. Agamem. 867 sqq.

Res agitur intus magna, par annis decem.
Eheu quid hoc est? anime, consurge et cape
Pretium furoris: vicimus victi Phryges.
Bene est, resurgit Troia; traxisti iacens,
Parens, Mycenas, terga dat victor tuus! e. q. s.

v. 1004 sqq.

Ne trahite, vestros ipsa praecedam gradus.
Perferre prima nuntium Phrygibus meis
Propero: repletum ratibus eversis mare,
Captas Mycenas, mille ductorem ducum,
Ut paria fata Troicis lueret malis,
Perisse dono feminae: stupro, dolo.
Nihil moramur, rapite, quin grates ago.'

[1]) In Accii Clutemestra non tam fortis et paene virilis animi fuit Cassandra, quod patet ex fragmento VI

Cur me miseram inridet magnis compotem et multis malis.

neque in eiusdem poetae Aegistho, si modo iure idem huius fabulae argumentum fuisse Ribbeckius coniecit, similes videntur fuisse Cassandrae mores atque in Annaeana tragoedia. Cf. fr. I et II.

Qualem Livius in Aegistho vatem finxerit plane nescimus.

Res est apertissima,[1]) quamquam concedo non prorsus gemellos esse locos a me in comparationem vocatos. Novum autem, ut hoc obiter inseram, hac re lucrati sumus argumentum, quo Agamemnonem a Seneca iniuria abiudicari confirmetur.

Sed ut revertatur unde deflexit disputatio mea, Braunio non contigit, ut unius fabulae fragmenta nos tenere probaret, sed docuit saltem quid Euripidi Seneca debeat.

Sed non in eo adquievit Braunius, quin etiam evincere suscepit Annaeum tragoediam istam incohatam reliquisse. Namque observasse sibi visus est Senecam cavisse, ne tragoediae, quibus eundem mythum tractavit, inter se pugnare viderentur. Jam vero, quoniam in fine Oedipi Annaeanae Jocasta ipsa se interemisset, poetam, ut in alia fabula vivam eam in scaenam produceret, animum non induxisse. Hanc igitur ob causam Phoenissas a poeta non ad finem esse perductam. Nimirum futile hoc argumentum etiam tum esset, si observatio ista Braunii caderet in reliquas tragoedias. Videamus autem num satis circumspecte Senecae consuetudinem observaverit. Phaedram igitur Annaei spectavit, qua in fabula Theseum ex inferis redeuntem fecit poeta, cum in servata Hippolyto Euripidea ex itinere, quod in loca sacra susceperat, rex Atheniensium revertatur. Jam in Hercule quoque Annaeana Theseus ex inferis ab Alcide liberatus redux est. Ergo, inquit Braunius, nulla alia

[1]) Possunt etiam conferri:

Eurip. Troad. 451:	Senec. Agam. 693.
ὦ στέφη τοῦ φιλτάτου μοι θεῶν, ἀγάλματ' εὔια, χαίρετ' ἐκλέλοιφ' ἑορτάς, αἷς πάροιθ' ἠγαλλόμην. ἴτ' ἀπ' ἐμοῦ χρωτὸς σπαραγμοῖς, ὡς ἔτ' οὖσ' ἁγνὴ χρόα δῶ θοαῖς αὔραις φέρεσθαί σοι τάδ', ὦ μαντεῖ' ἄναξ.	Chorus: Sed cur sacratas deripis capiti infulas?

Cf. v. 256. Cf. Schneidewin-Hense ad Aeschyl. Agam. v. 1223.

Neque ego, quoniam cetera ex Euripide prompta sunt, dubitaverim, quin haec quoque sententia ex eodem fonte fluxerit. Attamen possit aliquis dubitare propter Aeschyl. Agam. 1223 sqq.

τί δῆτ' ἐμαυτῆς καταγέλωτ' ἔχω τάδε
καὶ σκῆπτρα καὶ μαντεῖα περὶ δέρῃ στέφη;

de causa Seneca in Phaedra componenda Euripidis exemplum declinavit,[1]) quam ut rationem haberet Herculis suae. Itane vero? Theseus simul Athenis et Thebis versari potest? Etenim in Phaedra recta via ex Orco surrexit, hoc apertissime elucet ex primis statim verbis, quae loquitur:

Senec. Phaedr. 835: 'Tandem profugi noctis aeternae plagam
Vastoque manes carcere umbrantem polum,
Et vix cupitum sufferunt oculi diem.'

In Hercule autem Annaeana Theseus, ut supra vidimus, Herculis comes ex Tartaro Thebas protinus proficiscitur. Quare id ipsum, quo Braunius sententiam suam se confirmasse putavit, contra eum valet: dissensus iste inter Phaedram et Herculem fabulas argumento est, Senecam in tractandis mythorum formis non nimis anxium fuisse.

Sed ipse quoque Phoenissas Annaeanam tragoediae a poeta non perfectae censeo esse fragmenta. Cuius rei satis certa, ut opinor, deprehendi vestigia. Nam si quis accurate hos 664 versus perlustraverit, eum non poterit praeterire, quasdam sententias bis vel ter vel saepius adeo repetitas esse et id quidem ea plerumque ratione, ut sensus aliquis primum breviter indicatus sit, dein aliquot versibus alius prorsus argumenti interiectis multo sermone explicetur inlustretur amplificetur. Quae res ut quam potest fieri clarissime perspiciatur, iamiam locos istos, quibus moleste poeta et inepte repetivit easdem sententias componam.

V. 5 sqq.	V. 27. sqq.
melius inveniam viam, Quam quaero, solus, quae me ab hac vita extrahat Et hoc nefandi capitis aspectu levet Caelum atque terras.	Est alius istis noster in silvis locus, Qui me reposcit, hunc petam cursu incito; Non haesitabit gressus, huc omni duce

[1]) Nec vero exemplum Euripideum declinavit. Duas nimirum Hippolytos docuit Euripides, quarum priorem, quae fatorum invidia nobis non est servata, quin Seneca in usum suum verterit post Kalkmanni dissertationem (de Hippolytis Euripideis. Bonnae 1879) nemo dubitat.

Spoliatus ibo.[1]) quid moror
sedes meas?

Sententia, quae latet in verbis quae sunt: 'quae me ab hac vita extrahat et hoc nefandi capitis aspectu levet caelum atque terras' usque revertitur quamquam variata sane paullum et aucta. Conferas:

v. 44 sqq. Tandem spiritum inimicum expue,
Desertor anime, fortis in partem tui.
Omitte poenae languidas longae moras
Mortemque totam admitte; quid segnis traho
Quod vivo?

v. 91 sqq.: Dextra quid cessas iners
Exigere poenas? quidquid exactum est adhuc,
Matri dedisti, mitte genitoris manum,
Animosa virgo: funus extendis meum
Longasque vivi ducis exequias patris.[2])

v. 141 sqq.: Hoc animo sedet
Effundere hanc cum morte luctantem diu
Animam et tenebras petere: nam sceleri haec meo
Parum alta nox est: Tartaro condi iuvat,
Et si quid ultra Tartarum est; tandem libet
Quod olim oportet.

denique v. 233 sqq.: cur caput tenebris grave
Non mitto ad umbras Ditis aeternas? quid hic
Manes meos detineo? quid terram gravo
Mixtusque superis erro?

---

[1]) Hi loci memoriam mihi excitant versuum Sophocleorum Oedip. Col. 1587: ὡς μὲν γὰρ ἐνθένδ᾽ εἷρπε, καὶ σύ που παρὼν
ἔξοισθ᾽, ὑφηγητῆρος οὐδενὸς φίλων
ἀλλ᾽ αὐτὸς ἡμῖν πᾶσιν ἐξηγούμενος.

[2]) Cf. Stat. theb. I 46 sqq.
'Impia iam merita scrutatus lumina dextra
Merserat aeterna damnatum nocte pudorem
Oedipodes longaque animam sub morte tenebat.'

IV 614 sqq. 'Iacet ille in funere longo,
Quem premis, et iunctae sentit confinia mortis'

XI 580 sqq. 'At genitor sceleris comperto fine profundis
Erupit tenebris, saevoque in limine profert
Mortem imperfectam:'

Identidem porro Oedipus vario sermone de poenis loquitur, quas solvere parenti debeat. Quam quidem materiam primum tangit v. 91 sq. 'Dextra quid cessas iners, exigere poenas? quidquid exactum est adhuc, matri dedisti.' Plenius vero hanc sententiam exponit inde a versu 155:

'Dextra nunc toto impetu,
Toto dolore, viribus totis veni.
Non destino unum vulneri nostro locum:
Totus nocens sum: qua voles mortem exige.'

e. q. s. — Concludit declamationem istam hunc in modum:

v. 166: Et tu, parens, ubicunque poenarum arbiter
Adstas mearum — non ego hoc tantum scelus
Ulla expiari credidi poena satis
Unquam, nec ista morte contentus fui,
Nec me redemi parte: membratim tibi
Perire volui — debitum tandem exige,
Nunc solvo poenas, tunc tibi inferias dedi.

Cf. v. 241: nullas animus admittit preces
Novamque poenam sceleribus quaerit parem.
Et esse par quae poterit?

In his verbis duae res me offendunt. Primum quod Laius invocatur, cum supra iam Oedipus parentem sibi visus sit conspicere v. 40 sqq. Quorum tantam esse sentio locorum adfinitatem, ut Senecam, si perfecisset hanc fabulam et perpolivisset, alterutrum inducturum fuisse persuasum prope habeam. Deinde haud placet inter v. 90 sqq:

'Liceat ulcisci patrem
Adhuc inultum — dextra quid cessas iners
Exigere poenas? quidquid exactum est adhuc,
Matri dedisti.'

et v. 172: 'Nunc solvo poenas, tunc tibi inferias dedi' dissensus iste, qui prodit, ni fallor, poetam quae neglegenter prima opera in chartas iecerat neutiquam emendasse. Nam utroque

loco Oedipus de oculis aperte loquitur, quos olim effoderat, sed v. 92 sq. ad luenda ea, quae in matre peccaverat, hoc factum esse ait, contra v. 172, ut inferias patri persolveret.

Vituperandum autem etiam esset, si de perfecta fabula et limata iudicaremus, quod postquam Polynicis Antigona Argis adpropinquantis mentionem fecit v. 58, idem ab Oedipo quae Thebis mox futura sint vaticinante repetitur v. 278 sqq. Quid? quod infra v. 370 sqq. Iocasta in eodem argumento multa est? Nimirum ne hos quidem locos integros reliquisset Seneca, si opus suum limasset. Idem vero de his etiam locis iure videtur statui:

v. 67 sqq. (Joc.): Hic alta rupes arduo surgit iugo Spectatque longe spatia subiecti maris: Vis hanc petamus? nudus hic pendet silex, Hic scissa tellus faucibus ruptis hiat: Vis hanc petamus? hic rapax torrens cadit Partesque lapsi montis exesas rotat: In hunc ruamus? e. q. s.	v. 114 (Oedip.): Ubi saevum est mare? Duc ubi sit altis prorutum saxis iugum, Ubi torva rapidus ducat Ismenos vada, Si dux es: illuc ire morituro placet, Ubi sedit alta rupe semifero dolos Sphinx ore nectens.
Deinde v. 77 sqq. (Antig.): Sed flecte mentem, pectus antiquum advoca Victasque magno robore aerumnas doma; Resiste: tantis in malis vinci mori est.	v. 188 sqq. (Antig.): At hoc decebat roboris tanti virum, Non esse sub dolore nec victum malis Dare terga; non est, ut putas, virtus, pater, Timere vitam, sed malis ingentibus Obstare nec se vertere ac retro dare.

Tum v. 103 sqq. (Oedip.) ius vitae ac necis Meae penes me est. regna deserui libens, Regnum mei retineo.'	v. 151 sqq. (Oedip.): optume hoc cavit deus: Eripere vitam nemo non homini potest, At nemo mortem; mille ad hanc aditus patent.
Porro v. 105 sqq. (Oedip.): si fida es comes, Ensem parenti trade, sed notum nece Ensem paterna. tradis? an nati tenent Cum regno et illum? facinore ubicunque est opus, Ibi sit — relinquo:	v. 147 sqq. (Oedip.): Ferrum negabis? noxias lapsu vias Cludes et artis colla laqueis inseri Prohibebis? e. q. s.
Denique v. 211 sqq. (Antig.): ab aspectu omnium Fortuna te summovit, et quidquid potest Auferre cuiquam mors, tibi hoc vita abstulit:	v. 237 sqq. (Oedip.): Regnum parentes liberi, virtus quoque Et ingeni sollertis eximium decus Periere, cuncta sors mihi infesta abstulit:

Neque in altera Phoenissarum parte, quae Thebis agitur, desunt vestigia, quibus rem nobis esse cum imperfecto opere luculentissime adpareat. Quin etiam utrum scaenam intra Thebarum moenia fingeret an in campo, ubi fratres inter se pugnaturi erant, ipso fluctuatus videtur poeta esse. Nam, ut omittam loci mutationem Herculis alterius exemplo non satis defendi, utpote de cuius auctore iure ambigatur, easdem in utraque scaena deprehendimus sententias eisdem adeo ex parte verbis expressas.

Conferas

v. 383: Sed utrumque quamvis diligam affectu pari, e. q. s.	v. 460 sq. Misera quem amplectar prius? In utramque partem ducor affectu pari.

v. 409 sqq:
tela, qui fuerit pius,
Rogante ponat matre; qui non est pius,
Incipiat a me.

v. 454 sqq.:
in vestra manu est,
Utrum velitis: sancta si pietas placet,
Donate matrem pace: si placuit scelus,
Maius paratum est: media se opponit parens.

Denique in ipsius ultimae scaenae ambitu saepius Seneca quae iam satis dicta erant haud apte iteravit. Huc pertinent:

v. 496 sqq. (Joc.):
exoro? an patri
Invideo vestro? veni, ut arcerem nefas
An ut viderem propius?

v. 531 sqq. (Joc.):
Quam paene mater maius aspexi nefas,
Quam quod miser videre non potuit pater.

v. 537 sqq.: Precor — per irati sibi
Genas parentis, scelere quas nullo nocens,
Erroris a se dira supplicia exigens,
Hausit: e. q. s.

v. 553 sqq. occurrat tibi
Nunc Oedipus, quo iudice erroris quoque
Poenae petuntur.

Haec sufficiant. Restant quippe etiam plura, in quibus haerere possit, qui severus velit esse iudex, velut in ea re, quod sub ipsum huius scaenae finem verbis Iocastae quae leguntur v. 648: 'sceptra Thebano fuit impune nulli gerere' e. q. s. sententia redit eadem, quam supra in priore iam Phoenissarum parte Oedipus significarat v. 276:

'Optime regni mei
Fatum ipse novi: nemo sine sacro feret
Illud cruore.'

Sed talibus equidem minutiis noluerim multum tribuere.

Phoenissas ergo Annaeanam, ut paucis sententiam meam comprehendam, incohatum censeo esse poetae opus. Quod quidem concludo cum ex trunco totius poematis habitu, tum ex singulorum neglegenti et primo quasi impetu facta compositione.

Videtur poeta quas mente agitaverat cogitationes prorsus exhausisse non curans utrum apte singula procederent necne. Scilicet hoc munus in futurum tempus distulisse censendus est. Ante omnia autem, ut fieri solet, in ea incubuit, quae ex universa materia maxime ei erant cordi.

Nec vero utrum unius fabulae an duarum initia poeta nobis reliquerit susceperim disceptare. Nam quod scaenae, quales hodie legimus, vix ulla possunt ratione inter se coniungi, inde non necessario conligitur duarum eas esse fabularum partes. Quid, si poeta cum tragoediam componere constituisset, duo vel tria deinceps initia delineavit, quorum optimum virtutibus omnium examinatis postea erat delecturus? Hoc inauditum non esse concedes.

EXCURSUS.

Excursus I. De parectasi quae vocatur.

Apud Terentium in adelph. III, 1, 8. sqq. Sostrata matrona procedit, cuius filia ab Aeschino adolescente aliquando vitiata parturit, et apud nutricem Cantharam queritur solitudinem suam in tantis miseriis. Nutrix eam consolatur his verbis:

'E re natae melius fieri haud potuit quam factum est, era,
Quando vitium oblatum est: quod ad illum attinet potissumum
Talem, tali ingenio atque animo, natum ex tanta familia.'

Ad haec nutricis verba adscripsit Donatus:[1]) 'haec omnis παρέκτασις tragica est gaudiorum introductio ante funestissimum nuntium.' Advenit proxima scaena Geta, servolus, qui nuntium adfert Aeschinum fide rupta fidicinam adamasse.

παρέκτασις igitur vocabulum est artis tragicae. Sed interpretatio illa Donati 'gaudiorum introductio ante funestissimum nuntium' non videtur convenire ipsi vocis notioni. Nempe nimis angustis se continet finibus. παρέκτασις significat extensionem alicuius rei. Sic grammatici docent parectasi factum

[1]) Cf. Ribbeck. röm. Tragoed. p. 642.

esse, ut quaedam vocabula in Homeri carminibus longioribus formis usurpata inveniantur. In tragica autem officina sine dubio vocabulo παρεκτάσεως artificium illud significatur, quo poetae differunt paullum sub finem fabulae funestum ipsum exitum. Quod variis modis et fieri potest et factum est. Semper autem id videtur proprium fuisse παρεκτάσεως, ut aut spectatores aut interlocutores sperarent fore, ut res prospere caderent. Hoc exemplis probatur.

Ut ex scaena illa Terenti exordium capiam, nutrix Sostratam consolationibus illis in eam spem inducit Aeschinum fide salva filiam ducturum esse.

Verum ipsos tragicae artis principes contemplemur. Aeschylus in eis, quae nobis traditae sunt, tragoediis non usus est artificio illo. Sophocleas[1]) autem fabulas si perlustramus, ter, si quid video, deprehendimus παρέκτασιν: in Antigona v. 1108 sqq. et in Aiace v. 693 et in Oedipo v. 1086.

Nam cum Creo una cum stipatoribus se proripuisset, ut Antigonam ex saxeo sepulcro liberaret, spes sane aliqua et choro et spectatoribus ostenditur, posse etiam nunc perniciem, quae iam impendet domo regiae, arceri.[2])

In Aiace notum est chorum herois ambiguis decipi dictis.

In Oedipode[3]) chorus, postquam ex nuntio Corinthio audivit, Oedipodem olim in Cithaerone a pastore quodam traditum esse Corinthio illi viro, in suspicionem incidit, eum a deo quodam genitum esse. Quod si verum esset, oraculum illud de interfectore Laii in eum non valeret.

Devenimus ad Euripidem, cuius ex fabulis duae ad nostram quaestionem pertinent Herculem dico et Phoenissas. De scaena illa Herculis Euripideae, quae antecedit Lyci mortem, supra dixi. In Phoenissis Jocasta, ubi nuntium accepit filios

---

[1]) Cf. Bergk. gr. litt. hist. III p. 138.

[2]) Nauck ad. Soph. Oed. v. 1086. cum hoc carmine confert Soph. Trach. v. 633 sqq. Summa iniuria. Nempe Trachiniarum illud canticum culmen est fabulae, quod excipitur metabasi scilicet ea scaena, qua Deianira quo timore sollicitetur choro enarrat. παρέκτασις autem locum suum habet post metabasin sub ipsam catastropham.

[3]) Cf. G. Freytag, die Technik des Dramas p. 117.

singulari pugna inter se de regno decertaturos esse, Antigona comitante in campum avolat, ut ab incepto nefario natos avertat. Spes igitur est, quamvis exigua, eam et in tempore in pugnae locum perventuram et a filiis ut sibi indulgeant impetraturam esse.

Ergo non utique parectasi gaudium sive personarum quarundam sive spectatorum movetur, sed spes quaedam boni exitus, quae potest sane cum gaudio esse coniuncta. Duo autem adgnosco παρεκτάσεως genera, alterum quo adhibito chorus sive personae aliquae tragoediae, antequam ipsa catastropha perturbantur, nova spe recreantur, alterum, quo etiam spectatorum animi reficiuntur. Hoc autem, quod extremum posui, non differt ab artificio illo nostris quoque poetis satis noto, quod a Freytagio l. l. nuncupatur: ʻdas Moment der letzten Spannung.'

Excursus II. De exodis quibusdam Euripideis.

Ricardus Arnoldt in libro quem inscripsit ʻdie chorische Technik des Euripides' p. 37 non eiusdem ambitus esse omnes dramatum exodos quot quidem servatas tenemus Euripideorum cognovit. Nam, cum reliquae duas sive summum tres complectantur scaenas, Hecubae exodum constare scaenis quinque Herculis Supplicum Baccharum sex Medeae Ionis septem Phoenissarum novem Iphigeniae Aulidensis decem Orestis tredecim. Neque sine certa causa hoc accidisse arbitratur. Haec autem eius est ratiocinatio. ʻDiese, wie gesagt, zunächst in der That auffallende Erscheinung findet indessen bei genauerem Eingehen auf den Inhalt jenes letzten Bühnenteils alsbald darin ihre Erklärung, dass es sich als ein von Euripides beinahe durchgehends eingehaltenes Princip bei Disposition des Arguments herausstellt die Peripetie und die Katastrophe, d. h. also die gesammte Katabasis, in die Exodos zusammenzudrängen. — — Wenn aber diese Lysis eine weitere Exposition erforderlich

macht, wenn sie durch die Handlung der theilnehmenden Bühnenpersonen zum Abschlusse gelangt und nicht durch plötzliche und von aussen herantretende Mittel, so muss nothwendig der Schlusstheil der Tragoedie auf einer breiteren Grundlage von Scenen aufgebaut werden.'

In his verbis ante omnia id notandum esse censeo, quod notio, qua Arnoldt vocem quae est 'Peripetie' usurpavit, non inest in vocabulo illo. Voluit nimirum eam tragoediae partem significare, qua in contrarium se vertit principum personarum fortuna. Hoc patet non inde solum quod addidit: 'd. h. also die gesamte Katabasis,' verum etiam ex tota eius de exodis Euripideis disputatione. Sed hanc non esse peripetiae vim atque naturam quivis perspiciet, qui Aristotelis librum de arte poetica evolverit. Nempe una quaeque tragoedia eam habet partem[1]), quam Arnoldt l. l. voluit indicare, non habet una quaeque peripetiam.[2]) Id autem tragoediae momentum, unde incipit ea pars, quae ab Arnoldtio nuncupatur catabasis, ab Aristotele videmus *μετάβασιν* nominari. *περιπέτεια* quid sit certis terminis circumscribitur Aristot. l. l. XI init. '*ἔστι δὲ περιπέτεια μὲν ἡ εἰς τὸ ἐναντίον τῶν πραττομένων μεταβολὴ καθάπερ εἴρηται καὶ τοῦτο δὲ ὥσπερ λέγομεν κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ ἀναγκαῖον.*' Cf. quae verissime explanavit Gustavus Freytag l. l. p. 87 sqq., quem secutus est Georgius Günther 'Grundzüge der tragischen Kunst' p. 408 sqq.

Praeterea ne 'catabasis' quidem illud ea, qua Arnoldt adhibuit, significatione antiquis auctoribus, qui tragicae artis doctrinam tractavere, notum erat.[3]) Sed in hac re nolo nimis molestus esse, cum praesertim omnino nullum antiquorum scriptorum suppeditet vocabulum, quo res illa denotetur.

Jam vero verbis Arnoldtii emendatis quid de ipsa eius sententia iudicandum sit videamus. Imprimis cum singulas

[1]) Cf. Aristot. poet. VII extr., ubi de iusto fabulae ambitu sermo est: '*ὡς δὲ ἁπλῶς διορίσαντας εἰπεῖν, ἐν ὅσῳ μεγέθει κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον ἐφεξῆς γιγνομένων συμβαίνει εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας ἢ ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν μεταβάλλειν, ἱκανὸς ὅρος ἐστὶν τοῦ μεγέθους.*' et X init.

[2]) Cf. Aristot. poet. X.

[3]) Lapsus est Freytag. l. l. p. 88 adnot.

fabulas perlustrans enarrare et fulcire studeret opinionem suam, secernere debebat ex numero illo exodorum exodum Iphigeniae Aulidensis, quippe de qua propter textus miseram condicionem lubricum sit iudicium.

Deinde de Phoenissis et Bacchis non opus est verba facere, quoniam Arnoldt. l. l. p. 38 eorum, quae in universum de exodis Euripideis statuit, plane, ut videtur, oblitus harum fabularum exodis solam catastropham[1]) contineri ipse confessus est. Reliquas tragoedias si contemplamur, Arnoldtii sententia stare mihi non videtur posse nisi de duabus, Orestem dico et Ionem. Atque in Ione quidem tam arte cohaerent metabasis anagnorisis catastropha, ut brevissimo tantum chori cantico actionis celerrime decurrentis flumen interrumpatur. Aliter res se habet in Oresta. Namque exodus bis interposito amoebaeo chori cantico in tres dispertita est particulas, quarum prima metabasin ultima demum catastropham complectitur.

Restant Hecuba Supplices, Medea Hercules. Concedendum est Herculis exodo contineri metabasin et catastropham, sed non continetur tota tragoediae catabasis. Etenim Herculis et Hecubae cum non simplex sit argumentum, ne potest quidem una esse totius fabulae catabasis. Et de Herculis duplici prologo metabasi catastropha supra satis dictum est. In Hecuba autem locum habet prior metabasis versu 342 (Nauck) et hic quidem coniuncta est cum peripetia.[2]) Nam id quod minime sperabat Hecuba Polyxenam facturam esse, virgo magnanima atque generosa facit, cum morem gerat Ulixis voluntati ut ad immolationem ipsum sequatur postulantis. Catastropham autem priorem continet scaena inter Talthybium et Hecubam, ubi de morte regiae virginis ille refert. Tum brevi inserto chori cantico alterum incohatur argumentum, cuius metabasis conlocata est in versu 898 (Nauck), ubi Agamemno Hecubae quae illa cupiverat concedit. Sequitur exodus fabulae, cuius

[1]) Moneo lectorem me vocem quae est catastropha ea notione, qua nostrates solent, usurpare. Quae quidem notio ne antiquis quidem scriptoribus ignota est.

[2]) Erravit Löffler in programmate gymnasii Deutsch-Crone 1869 p. 10.

prior scaena eam partem continet, quae est inter metabasin et catastropham, altera ipsum tragoediae exitum.

Quodsi in his fabulis condendis severam legem nescio quam Euripides certe non respexit, id etiam minus fecit, cum Supplices componeret. Nam tertio iam episodio v. 777 finito argumentum plane est absolutum. Sequitur quarto episodio et exodo elogium septem ducum eorumque funus.

Denique falsissimum est quod de Medeae exodo Arnoldtius statuit: 'Peripetie zu Medeas Gunsten: Ausführung ihrer Rache.' Etenim quod Medea ultionem exigit de Iasonis perfidia id non pertinet ad peripetiam sive metabasin, sed ad catastropham. Metabasis in fine illius scaenae posita est, ubi maritus perfidus cum usque deneget fidem coniugi legitimae servare adeo Medeae dolorem invidiam odium auget, ut ultionem perficere decernat.

Corruit ergo Arnoldtii opinio de lege illa, quam Euripidem sibi ipsum scripsisse ait.

Excursus III. ad pag. 25.

In constituendo illius narrationis textu Leo nimio deteriorum librorum contemptu v. 799, sprevit veram poetae manum.

v. 797 sqq.: solvit a laeva feros
Tunc ipse rictus et Cleonaeum caput
Opponit ac se tegmine ingenti tegit.

Hanc Etrusci et Vindobonensis codicum lectionem quam Gronovius sive incuria sive consilio tacuit, receperunt ante Leonem Lipsienses etiam editores. In deterioris notae libris et in exemplaribus expressis legitur: 'ac se tegmine ingenti clepit,' quod ieiunae Etrusci lectioni utique praeferendum est. Dolum enim vocabulo isto tragicis qui antecesserunt Senecam romanis non inusitato [1]) lepide denotari docuit me scholis aliquando Ribbeckius praeceptor praeclarissimus, dolum dico, quo Hercules canem tricipitem decipere et obstupefacere conatur. Noster vocabulo illo usus est praeter hunc locum in Medea v. 156, ubi cum contemptu quodam dictum est de dolore et invidia, qui, cum furoris impetu careat, consiliis capiendis vacet.

[1]) Cf. Accii fr 235. 212. 292. Pacuv. fr. 185 Ribbeck.

Adpendicis loco liceat duobus praeterea versibus deteriorum librorum memoriam, quam exulare iussit Leo, restituere.

Primum igitur dicam de Phaedrae v. 300. Extat hic versus in cantico, quo vis et potentia cupidinis exemplis inlustratur cum aliorum tum ipsius Iovis, cuius maiestatem significare voluit poeta v. 300:

'Ipse qui caelum nebulasque fecit.'

Haec est Etrusci lectio, quae nullo pacto potest defendi. Etenim quamquam deus mundi creator in Senecae scriptis philosophicis sane fingitur, tamen mirum est caelum et nebulas potissimum electa esse a poeta, in quibus creandis deum divinam naturam prodidisse putaret. Neque quisquam hanc lectionem comprobavit. Etrusci vestigia secuti et de Wilamowitz et Leo coniecturis locum conati sunt emendare. Proposuit ille 'ipse qui caelo nebulas coegit,' hic 'ipse qui caelum nebulasque cogit.' At quae tandem haec ratio est, qua interpolationem boni alicuius monachi — hanc enim esse illud 'fecit' quis non videt? — corrigere studeamus, cum Seneca ipse in deterioribus libris deprehendatur, nimirum:

'Ipse qui caelum nebulasque ducit.'

Non curo Leonis suspicionem, qui hanc lectionem refert ad interpolatorem quendam, qui Homericum illud νεφεληγερέτα Ζεύς exprimere studuerit. Non enim est dubitandum, quin Seneca ipse Homerum legerit, ut ex tali imitatione sententiam non esse Annaeanam non iure concludatur. — At zeugma displicet quo 'ducit' illud refertur et ad 'nebulas' et ad 'caelum.' Displicuisse sane videtur Nicolao Heinsio, utpote qui [1]) proposuerit 'ipse qui caelo nebulas reducit' 'ut νεφεληγερέτα Ζεύς poetarum designetur.'

Sed non est quod haereamus in zeugmate illo, cum praesertim ne caelum quidem fixum sibi finxerint veteres. Cf. Plin. hist. nat. I, 6: 'hanc ergo formam eius (scil. caeli) aeterno et inrequieto ambitu, inenarrabili celeritate, viginti quattuor horarum spatio circumagi solis exortus et occasus haud dubium reliquere.'

[1]) Advers. crit. p. 65.

Transeo ad Thyestis v. 767, qui legitur in narratione nuntii de Thyestis puerorum caede referentis. Proponam totum locum:

Ipse (sc. Atreus) divisum secat
In membra corpus, amputat trunco tenus
Umeros patentes et lacertorum moras,
Denudat artus durus atque ossa amputat;
Tantum ora servat et datas fidei manus.
Haec veribus haerent viscera et lentis data
Stillant caminis, illa flammatus latex
Candente aeno iactat. impositas dapes
Transiluit ignis inque trepidantes focos
Bis ter regestus et pati iussus moram
Invitus ardet. stridet in veribus iecur;
Nec facile dicam, corpora an flammae magis
Gemuere.

In Etrusci lectione, quae est 'candente aeno' nequaquam offenderem, nisi in deterioribus libris extaret 'querente aëno.' Jam vero hanc lectionem illa, quae nil novi affert ad sententiam, multo esse venustiorem quis non videt? Nam aenum in quo aqua calefiat necessario esse calidum per se patet. Verbis autem 'querente aeno' apposite significatur quod unum adhuc in illa coquendi descriptione erat omissum, dico sonum, qualem edere vasa solent, si latice impleta igni admoventur. Convenit porro vel maxime colori totius loci quod aena, quasi viverent, querentia finguntur de liberorum caede. Denique Senecae proprium est, res inanimas animo et sensu, ut ita dicam, dotare. Quae res vel ex sequentibus versibus elucet. Cf. porro huius fabulae v. 702: 'flevit in templis ebur.'

v. 723 sqq.: 'educto stetit
Ferro cadaver, cumque dubitasset diu,
Hac parte an illa caderet, in patruum cadit.'

Huius loci admodum sunt similia quae extant Troad. v. 204 sqq.:

'Excidit Achilles cuius unius manu
Impulsa Troia, quidquid adiecit morae
Illo remoto, dubia quo caderet stetit.'

Praeterea cf. Thyest. 1064: 'mugire fibras vidi.' Herc. fur. 1054 'lugeat aether.' Cf. Herc. fur. 685. Agam. 140. Thyest. 697.

ADDENDUM.

ad pag. 16.

Catalogum locorum quibus Euripideam Herculem Seneca imitatus est a Leone confectum dum ex schedis meis explere studeo, infelici casu unum sane praetermisi exemplum, ut iam supplere cogar ipsum supplementum. Nam quod Amphitruo ut ipse primus mactetur Jovem rogat, id procul dubio ex Euripide delibatum est. Cf. Eur. Herc. v. 321 sqq.

*μίαν δὲ νῷν δὸς χάριν, ἄναξ, ἱκνούμεθα·
κτεῖνόν με καὶ τήνδ' ἀθλίαν παίδων πάρος,
ὡς μὴ τέκν' εἰσίδωμεν, ἀνόσιον θέαν,
ψυχορραγοῦντα καὶ καλοῦντα μητέρα
πατρός τε πατέρα.'*

Quamquam prorsus alia de causa apud Annaeum Amphitruo antea quam proles Herculea mortem oppetere gestit. Cf. Senec. Herc. 508 sq.

'Hoc munus a te genitor Alcidae peto,
Rogare quod me deceat, ut primus cadam.'

Nimirum quae in Euripidis fabula sensu prolata sunt vere humano, ea Seneca ita mutavit, ut ridicula evaderet magniloquentia. Quod est solemne Annaei vitium ortum illud et quasi, ut ita dicam, nutritum perverso temporum istorum iudicio.

Ineptius vero etiam est, quod Lycus respondet:

'Qui morte cunctos luere supplicium iubet
Nescit tyrannus esse: diversa inroga;
Miserum veta perire, felicem iube.'

Sed sententia est vere Annaeana, qui amat tyrannos talia iactantes fingere. Cf. Agam. 995:

'Rudis est tyrannus morte qui poenam exigit.'

Thyest. 245 sqq. (Satelles): 'Ferro peremptus spiritum inimicum expuat.

(Atreus): De fine poenae loqueris; ego poenam volo.
Perimat tyrannus lenis: in regno meo
Mors impetratur.'

CAPITUM ELENCHUS.

RUDOLPHUS WERNER DE VITA SUA.

Hamburgi anno h. s. LXI natus sum Christianus Rudolphus Werner patre Hermanno, quem praematura morte nuper mihi ereptum lugere nondum desii, matre Guilelmina de gente Sievert Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis in ludo adfinis mei Theodori Graack imbutus gymnasium adii Johanneum Hamburgense. In secundam classem vixdum provectus scholam egressus sum, ut in ea arte, quam pater professus erat, ipse quoque per biennium me exercerem. Sed ne hoc quidem tempore litterarum studium prorsus neglexi, immo per alterum biennii illius annum institutione fruebar Gustavi Leithaeuser viri humanissimi. Is tanto me inflammavit antiquitatis amore, ut rudimenta artis paternae ubi primum deposui Oldenburgam me conferrem gymnasium rursus frequentaturus. Ibi ab Henrico Stein Herodoteo hospitio benigne receptus egregii viri consilio et auctoritate summo opere sum adiutus. Vere anni MDCCCLXXXI maturitatis, quod dicunt, testimonium adeptus non ad litterarum protinus accessi universitatem, sed patris voluntati obsecutus polytechnicum adii Dresdense, ut ad eius artis, quae in exornandis versatur aedibus, penetrarem interiora. Atque per annum talibus me dedi studiis eis nimirum vel maxime delectatus auditionibus, quarum materia aliqua cum humanioribus litteris cohaereret cognatione velut Stechei scholis aestheticis Treui archaeologicis.

At sub alterius semenstris finem pater nefario hominis cuiusdam, quem nominare non licet, facinore coactus est se recipere ex negotio et labore quem summa industria summaque constantia tot annos ita sustentaverat, ut omnium bonorum veneratione coleretur. Itaque cum officinae patris praeesse iam

non possem anno MDCCCLXXXIII technicos valere iussi et Lipsiam profectus sum studiis philologis operam navaturus.

Audivi viros clarissimos Brugmannum Curtium Heinzium Hildebrandium Langium Lipsium Ribbeckium Ricardum Richter Voigtium Wachsmuthium Wenckium Zarnckium. Proseminarii philologi duo semenstria fui sodalis; seminarii cum sex menses sodalis fuissem extraordinarius Lipsii et Ribbeckii factum est benevolentia, ut in ordinariorum sodalium numerum adscriberer. Quo in numero tria permansi semenstria. Praeterea per tres annos et dimidium in Ribbeckii societate, in Rohdii per dimidium litteris operam dedi. Scholas antiquarias, quas privatissime Wachsmuthius habebat, per annum frequentavi. Denique in seminarium Ricardi Richter paedagogicum receptus sum sodalis.

Quibus viris inlustrissimis gratias ago quam maximas; imprimis vero Lipsium Ribbeckium Wachsmuthium grata usque piaque prosequar memoria.